
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
16 C
48

CONSTITVTIONES
SYNODALES

CONSTITVTIONES SYNODALES,

EDITAE, ET PROMVLGATAE

AB EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

D. FRANCISCO

EPISC. OSTIEN. ET VELITERNEN.


CARDINALI BARBERINO

S. R. E. VICECANCELLARIO,

SAC. COL. DECANO,

IN SVA PRIMA SYNODO, HABITA VELITRIS
Diebus XI. XII. & XIII. Iunij MDCLXXIII,

De dono D.ni [illegible] [illegible]



[illegible] D. Palacio [illegible]



ROMÆ. TYPIS BARBERINIS. MDC.LXXIII.

Excudebat Michael Hercules. *Superiorum permissu.*

FRANCISCVS
Miſeratione Diuina Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternenſis,
CARD. BARBERINVS
nuncupatus, S.R.E. Vicecancel. Sacri Collegij Decanus.

Capitulis, Archipresbyteris, Canonicis, Parochis, & Clero vtriuſque Epiſcopatus Oſtieñ. & Veliterneñ. Salutem in Domino.



QVOD ab initio ſuſceptæ harum Diœceſum curæ ſummoperè optauimus, quodque ſæpè deliberantes, moleſtis ſubindè obſtaculis præpediti, differre coacti ſumus; tandem, annuente Deo, perfecimus: vt nempè Diœceſanam Synodum ſolemni ritu celebraremus, vobiſq; præſentibus nonnullas leges, atque

decre-

decreta promulgaremus, quæ ad reformandos Populi mores, ad Ecclesiaſticam diſciplinam fouendam, aut reſtituendam, ad augendum Dei cultum, & Eccleſiarum nitorem, ad tollendos abuſus, ad animarum deniq; Nobis commiſſarum ſalutem curandam, expedire in Domino viderentur. Eadem nunc, Typis noſtro iuſſu edita, vobis exhibemus, vt ea præ manibus habere, lectitare, memoriæ commendare, recolere; &, cùm occaſio inſtat, in mores & actiones traducere, Vos in primis poſsitis, qui honorabilior Gregis Dominici portio eſtis, Paſtores Plebium, Duces populi; tùm veſtra inſtructione & exemplo, fideles reliqui. Excipite illa igitur prompto animo, & ad ve-

ſtram,

ſtram, Plebiumque ſalutem exequi, Deo iuuante, curate. Accipite inquam illa, non tanquam à Nobis, ſed tanquam ab Eo, qui poſuit Nos Epiſcopum animarum veſtrarum; quique diſertè proteſtatus eſt, ſeipſum in humilitate noſtra & audiri, & contemni. Adeoque ad illa exequenda non tàm vos pœnarum metus impellat, quàm virtutis amor, quàm æternæ gloriæ ſtudium, quàm Chriſti Redemptoris infinita Charitas, qui prò nobis ſeipſum Deo Patri in ara Crucis ſacrificium obtulit. Cuius exemplo optamus & Nos pro ouibus noſtris animam ponere. Si qui autem abiectiori ſunt animo, & timore ſe ſe duci ſinunt; hi non tàm pręſentis vitę pœnas exhorreant,

quæ

quæ leues ſunt, & citò tranſeunt; ſed futuras, quæ diris cruciatibus ſine fine torquebũt. Sic enim proteſtatur Clemens Sanctiſsimus Pontifex, Cathedralis Veliternæ Patronus: *In Iudicio Dei ignis æterni tormenta ſubſtinebit, qui Eccleſiaſtica Decreta neglexerit*. Quod vt aduertat Deus Optimus Maximus, & in vos omne donum perfectum effundat, immenſam eius benignitatem ſuppliciter deprecamur.

Epiſt. 1.



IN

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sac Pal. Ap.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Prædic. Sac. Pal. Ap. Magiſter.

INDEX
TITVLORVM.

De

De



IN NOMINE SANCTAE
ET INDIVID· TRINITATIS
PATRIS, ET FILII, ET
SPIRITVS SANCTI·
AMEN.

NOS FRANCISCVS, MISERATIONE DIVINA Episcopus Ostiensis, & Veliternensis, Card. Barberinus nuncupatus, S. R. E. Vicecancellarius, Sacri Collegij Decanus.





ASTORALI muneri, ac effusæ erga creditas Nobis animas Charitati, quantum in Domino possumus, satisfacere cupientes, Sacra hæc Comitia duximus conuocare, vt medio tam salutari, ab ipsis Ecclesiæ primordijs recepto, & per multa sæcula frequentato, ac per Decretum Sacri Conc. Tridentini nouissimè reassumpto, in illis perniciosas vitiorum radices extirpare, excessus corrigere, controuersias componere, salutaria virtutum semina spargere, quæque ad Diuinum cultum augendum, & Christianam disciplinam retinendam, moresque rectè instituendos opportuniora videbantur, constituere.

Quapropter ad Dei Omnipotentis gloriam, & Bea-

tissimæ Virginis Mariæ Genitricis Dei honorem, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Clementis, Aureæ, aliorumque Patronorum, Sanctorumque omnium, infrascriptas Ordinationes & Statuta decernimus, & promulgamus.

De Fidei Professione, à quibus, & quomodo facienda.

CAPVT PRIMVM.

Sess. 25. c. 2 de Reform.

CVm Fides sit nostræ salutis initium, Christianæ perfectionis radix, & spiritualis ædificij fundamentum; Idcircò Conciliorum omnium præsertim Tridentini, normam secuti, harum nostrarum Constitutionum initium duximus sumendum à Fide. Cumque non tantùm corde credere, sed ore etiam Fidem confiteri oporteat, meritò à Sacris Canonibus decretum fuit, vt ab omnibus prouisis de Beneficijs, præsertim curam animarum habentibus, ac insuper à Concionatoribus, Professoribus Sacrarum Scripturarum, Theologiæ, Philosophiæ, & omnium liberalium facultatum, publicè, vel priuatim eas docentibus, vel exercentibus, Fidei professio iuxta formam à S. m. Pio IV. traditam emittatur.

Pius IV. Const. quæ incip. Iniunctum.

Quod si in his nostris Diœcesibus hactenus omissum fuerit, in præsenti Synodo coram Nobis, vel infra biduum in manibus Auditoris, seu Vicarij nostri generalis, eam emittere teneantur. Aliàs restitutionis fructuum, & alijs canonicis pœnis subiaceant, quacumque possessione, etiam pacifica, non obstante.

De

De hæresum causis amputandis.

CAPVT II.

CVm immensæ Dei benignitati placitum sit, vt nasceremur in his Regionibus, in quibus orthodoxa viget Religio, Fideique Catholicæ professio floret illæsa; summo studio satagendum nobis est, vt eadem omninò pura, sinceraque conseruetur, & ab omni, nedum hæretica prauitate, sed suspicione etiam ac superstitione, sit libera. Omnibus igitur, non modò Clericis, sed etiam laicis, & ad Sacrorum Conciliorum, & Literarum Apostolicarum præscriptum, sub pœna excommunicationis strictè mandamus, vt denunciare teneantur quoscumque nouerint hæreseos labe infectos esse: eos quoque, qui magias, incantationes, sortilegia, aut alias diabolicas artes, præcipuè cum abusu sacrarum rerum, exercent, cibis vetitis in diebus prohibitis absque licentia seu legitima causa vtuntur, quosque blasphemantes audiuerint. Et hæc omnia vt singulis magis innotescant, edicta de Hæreticis, alijsque Catholicæ Religionis contemptoribus denunciandis, quæ à S. Inquisitionis Officio iam emanarunt, in calce harum Constit. apposita, quotannis prima Dominica Quadragesimæ atque Aduentus Domini à Parochis promulgentur: vt quos malè sanas opiniones fouere, vel ecclesiastica præcepta negligere nouerimus, eos aut corrigamus, aut si à prauitate discedere noluerint, à bonorum consuetudine seiungamus.

De Superstitionibus, Sortibus; atque Magicis Artibus.

CAPVT III.

CAuendum maximè est, ne Christi fideles cultum, quem vni Deo debent, aut Principi tenebrarum, illius fallacijs ac præstigijs decepti, exhibeant; aut vano ac superstitioso ritu peruertant. Quapropter monemus in primis omnes per viscera misericordiæ Dei nostri, vt, memores se pretiosissimo Christi sanguine de Satanæ potestate redemptos esse, ab incantationibus, diuinationibus, magicis artibus, veneficijs, maleficijsque, quibus se hominum mentes perturbare, morbos inferre, seu depellere profitentur, ab omnibusque alijs superstitionibus (quæ scelera non sine fœdere, ac pacto tacito, vel expresso cum Dęmonibus perpetrantur) omninò abstineant. Sciantque, si hæc exercere ausi fuerint, iuxtà Canonicas Sanctiones puniendos esse, etiam tamquam hæreticæ prauitatis reos, si aliquid gesserint, vel miscuerint cum hæresis crimine connexum. Neque in foro pœnitentiali (excepto mortis articulo) sine nostra auctoritate absoluendos fore. Et in eamdem superstitionem, & pœnas incidere, qui cumque eorumdem diuinatorum, sortilegorum, veneficorumque opera vsi fuerint.



De

De Blasphemia.

CAPVT IV.

GRauissimum & inexcusabile Blasphemiæ crimen, maximè omnium detestabile, quod veluti quædam pestis summa cum animarum iactura in agro Dominico grassatur; summo studio & inuigilandum & nitendum est, vt non compescatur modo, sed planè etiam euellatur & eradicetur. Quapropter, quicumque ore sacrilego in Deum, Deiparam Virginem, ac reliquos Sanctos maledicta aut blasphemias proferre ausi fuerint, iuxtà sacrorum Canonum præscriptum, ac præcipuè S.m. Pij Papæ Quinti Decretum, si semel in hoc execrabili scelere deliquisse deprehendantur, per diem festum integrum ante fores Ecclesiæ Cathedralis, manibus post terga reuinctis, manere debeant: si iterum idem peccauerint, publicè virgis cædantur: quod si demum tertiò in idem nefarium crimen inciderint, lingua peracuto antea ferro transfixa, ad perpetuas triremes absque vlla spe veniæ transmittantur. Et secundùm blasphemiæ grauitatem, vel iterati criminis rationem, pœnæ arbitrio nostro augebuntur, aut minuentur, prout magis expedire in Domino visum fuerit.

Insuper, qui blasphemiæ, manifestam hæresim sapientis, crimen commiserint, sciant se pœnis per sacræ Inquisitionis Officium propositis esse puniendos: prout etiam nec à lethali culpa, nec ab arbitraria pœna immunes fore, qui proferri audientes blasphemias, blasphemos ipsos

oppor-

opportunè non obiurgarint, ac ſtatim, omni ſpe emendationis poſtpoſita, ad Iudices Eccleſiaſticos non detulerint. Quod vt omnibus manifeſtum fiat, mandamus Archipresbyteris, Parochis, & Curatis harum noſtrarum Diœceſum, vt ſemel in anno populo eorum curæ commiſſo criminis huius grauitatem, & pœnas, tam pecuniarias (quarum medietatem accuſatori ſeu delatori applicamus, & applicatam eſſe volumus,) quàm corporis & honoris afflictiuas, eidem. Pontificio præſertim iure, impoſitas annuncient, obligationemque, quæ Chriſti fidelibus imminet, blaſphemos denunciandi, notificent, & vulgari ſermone explicent & declarent.

De Rudimentis Doctrinæ Chriſtianæ tradendis.

CAPVT V.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de Reform.

PArochi feſtis diebus, præcipuè verò Dominicis, populum ſibi commiſſum ad Doctrinam Chriſtianam erudire ſatagant: neque ſe muneri ſuo ſatisfeciſſe credant, ſi illum ſigno tantùm campanæ dato, aut frigida aliqua exhortatione ad eandem Doctrinam inuitauerint; ſed opportunè & importunè, arguendo & increpando, in omni patientia & charitate huiuſmodi officium præſtare debere ſe ſciant: &, ſi quando id opus eſſe iudicauerint, ad Parrochianorum domus non dedignentur accedere. Curent igitur, vt ijs ipſis diebus ad præſcriptam horam pueri ac puellæ in Eccleſiam conueniant, eoſque ſeorſim, ac diſtinctis ſedilibus poſitos inſtruant, quomodo ſalutaris Crucis ſigno ſe munire debeant, & quid per ipſum

ſum ſignificetur, doceant & declarent: Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Apoſtolorum Symbolum, ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, Præcepta Dei, & Eccleſiæ, aliaque potiora noſtræ Religionis rudimenta, præſertim Sacroſanctæ Trinitatis, & Incarnationis myſteria, tantoperè ad ſalutem neceſſaria, eis omninò explicent: Vtentes ad id Libello à rec.me. Cardinale Bellarmino compoſito,& folio cui titulus eſt, *Inſtruttione del Chriſtiano*, cuius exempla per Parochias diſtribui mandauimus. Ac ſuper omnia inſtillare pueris curent Dei timorem, & amorem, ac debitam Parentibus obedientiam, & reuerentiam. Quod vt facilius efficiant, præcipimus, vt, vbi commodè id fieri poteſt, Doctrinæ Chriſtianæ Confraternitas erigatur ex viris ad id idoneis, vita & moribus probatis: vel ſaltem aliqui pij homines eligantur, *Pius V. Conſt. quæ* qui hoc in munere Parochos adiuuent, Indulgentias à *inc. Ex de-* Pio V. & Paulo V. Summis Pontificibus conceſſas lu- *bito paſtorali &c.* craturi. Aliquot etiam idoneas & prouectioris ætatis *Paulus V.* mulieres, ad idem erga puellas præſtandum, earumdem *Conſt. quæ incip. Ea* Indulgentiarum illicio inuitent, & pertrahant. *credito.*

Clerici quoque omnes, ſiuè in minoribus, ſiuè in maioribus ordinibus conſtituti, præcipuè verò ij, qui ſeruitio alicuius Eccleſiæ addicti ſunt, iiſdem diebus Parochis in hoc munere operam ſuam impendere curent: ſciantque nos eos eò libentiùs ad maiores ordines promoturos, quo in hoc ſancto exercitio diligentiores fuerint.


Ludimagiſtri ſimiliter, quos literis informandos ſuſceperint, vt ijdem Chriſtianam Doctrinam calleant, omninò procurent.

Præter Parochos & Ludimagiſtros ſciant etiam om-

nes Patresfamilias, ad ipsos spectare, vt prædicta Fidei initia filios ac famulos vtriusque sexus doceant, vel per alios doceri curent.

Cæterùm, quoniam non tantùm pueri, sed (quod dolendum est) nonnulli etiam adulti, Christianam doctrinam ignorant; & ne signo quidem Crucis ritè, ac rectè signare se sciunt: eos hortamur, vt ad institutionem eiusdem Doctrinæ Christianæ in Ecclesijs habendam accedant. Quibus vt absque rubore discendi commodum præbeatur, volumus, vt omnes, præcipuè rurales, Parochi diebus festiuis inter Missarum solemnia, dum sermonem habent ad Populum, alta, & distincta voce pronuncient, secumque pronunciare adstantes iubeant, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogum, & Ecclesiæ præcepta: ipsi se coram omnibus signantes, & eo modo, qualiter & quibus verbis signum Crucis fieri debeat, ostendentes.

Adhæc omnes Confessarij, tàm sæculares, quàm Regulares, initio confessionis audiendæ, à Pœnitentibus, quos, vel ob teneram ætatem, vel ob rusticitatem, prædicta Fidei rudimenta ignorare suspicantur, vt se signo Crucis muniant, & si ea nouerint, postulent; si verò prædictarum rerum ignaros inuenerint, cum patientia & charitate (prout tempus patietur) doceant: comminantes etiam, quòd si denuò illos prædicta ignorare deprehenderint, eorum confessiones non audient, nisi de nostro speciali mandato.



C A-

De Verbi Dei prædicatione per Parochos, & Concionatores habenda, & quid in ea obseruandum.

CAPVT VI.

IPsum Pastoris nomen nos admonet, potissimum animarum Rectoris officium esse, vt oues sibi creditas salutari verbi Dei pabulo frequenter pascat. Idcircò Parochis omnibus præcipimus & mandamus, vt singulis Dominicis, Festisque diebus inter Missarum solemnia statim post Euangelium, adstante populo, sermonem habeant, vtili aliquo themate ex eodem Euangelio desumpto. Si qui verò minus apti, minusque ad hoc Prædicationis officium suscipiendum explendumque idonei sint, saltem Homilias aliquas approbatas, vel, quod illis erit facilius, Cathechismum Romanum Beati Pij Papæ V. iussu editum, & in maternam linguam translatum, eidem perlegant. Qui autem id præstare neglexerint, pœna arbitrio nostro infligenda mulctabuntur. Concionatoribus verò cæteris, siuè sęcularibus, siuè regularibus quibuscumque, inhibemus, ne in tota nostra Diœcesi concionandi munus obire audeant, nisi à Nobis fuerint approbati, & Fidei professionem prius emiserint. Aduertant verò, se non alicui leui muneri, sed omnium grauissimo, & difficillimo deputari, & in eam maximè curam cogitationemque incumbant, vt nedum (quod absit) quidquam à Fide Catholica alienum proferant, sed etiam à vanis & inutilibus quæstionibus & descriptionibus,

D quæ

quæ potiùs ad oſtentationem, & curioſitatem, quàm ad correctionem pertinent, ſe abſtineant; futilia quædam, & nonnulla, riſum potiùs, quàm deuotionem mouentia, fugiant; Sacræ Scripturæ verba, vel ſententias, neque ioco, neque ſeriò ad prophanos ſenſus detorqueant: eo tandem orationis genere vtantur, quod ſaluti audientium ſit accommodatum, ad hoc, vt vitia eorum increpent atque reprehendant, ac in omni patientia & doctrina fidelium animos excitent ad amorem & timorem Dei, ad nouiſſimorum memoriam, ad auerſionem & odium peccatorum, ob quorum multitudinem his præcipuè temporibus plures experimur calamitates, atque Iuſtitiæ Diuinæ flagella.

Curent Parochi, vt hæc à Concionatoribus obſeruentur. & ſi eos in aliquibus deliquiſſe cognouerint, ſtatim Nobis, ſeu Vicario generali denuncient, ad hoc, vt opportuna remedia adhibere poſſimus. Aduertant ſimiliter, ne conciones de Paſſione Domini habeantur ante Solis ortum, vel eius occaſum.

Sacerdotes autem, omneſque alios, ad quos Prædicatores, præcipuè Quadrageſimali tempore declinare contigerit, vt caritatiuè eos ſuſcipiant, & benignè tractent, hortamur in Domino: Certi ſe in eorum perſona recipere aut ſpernere illum, à quo mittuntur.

De Feſtorum dierum Obſeruatione.

CAPVT VII.

FEſtiuitates Sanctorum, cum Dei, & iſtorum cultum reſpiciant, atq; ad Religionem conſeruandam maximè

ximè pertineant, omni genere deuotionis ac pietatis à Christi fidelibus celebrari & sanctificari oportet. Moneantur itaque, non solùm, vt Missæ sacrificio reuerenter assistant, vtque Patresfamilias filios seruosque illi curent assistere; sed & per totam diem ab operibus seruilibus, (qualia reputari debent non solùm artificia omnia, & negocia manualia, verum etiam ruralia exercitia, vecturæ omnes, siue per plaustra, siue per equos, siue per alia quæcumque animalia) & abstineant ipsi, & abstinere eos faciant. Quòd si ab earum rerum venditione, quæ diurno victui necessaria sunt, cessari non poterit; saltem fiat apothecis clausis, vel paruo aliquo ostiolo aperto. Tempore autem vindemiarum, messis, ac recollectionis fructuum, vel vbi necessitas vrget, aut pietas suadet, quibus casibus laborare in die festo permittitur; id non fiat, nisi præuia licentia, in Ciuitate à Vicario generali, in Diœcesi verò à Vicarijs foraneis, aut, his absentibus, à Curatis obtinenda: ea tamen conditione adiecta, ne Sacri auditio vllo modo prætermittatur, sub pœnis in Edicto à Nobis super hac re edito contentis, quibus Domini pro seruis, Patres pro filijs, Artifices pro ministris erunt obnoxij.

Doceant verò diligenter fideles, ideo sacros hos dies ab operibus seruilibus immunes esse iuberi, vt in sacrorum mysteriorum meditatione, diuino cultu, ac pietatis operibus transigantur; ac propterea multò cautiùs abstinere eos debere a chorẹis, ludis, præsertim vetitis, comessationibus, compotationibus, ebrietatibus, & similibus operibus carnis, quæ in Diaboli seruitutem inducunt.

Nè autem ignorent Populi, præſertim rudiores, quos dies ſanctificare oporteat, omnibus Parochis, & Eccleſiarum Rectoribus præcipimus, & mandamus, vt diebus Dominicis intra Miſſarum ſolemnia dies feſtos hebdomadæ ſequentis enuncient. Pridie quoque diei feſtiui veſperi ſtatim poſt ſignum Salutationis Angelicæ Campanas omnes pulſari curent, vt eo ſonitu populi & ſolemnitatis admoneantur, & ad diuinum cultum impenſiùs excitentur.

De Quadrageſima & Ieiunio.

CAPVT VIII.

SAcrum Ieiunium, certis diebus & anni temporibus ſalubriter ab Eccleſia inſtitutum, cum ſub mortiferi peccati pœna ab omnibus obſeruari debeat; propterea ſingulis hoſpitibus, & alijs huius generis hominibus inhibemus, nè per eos dies in hoſpitijs, cauponis, aut tabernis, neue in foro, aut in via, neque publicè, neque priuatim, carnes, aliosue cibos prohibitos vendant, aut venales exponant: neque peregrinis, aut viatoribus, quicumque illi ſint, eiſdem vti permittant.

Ægrotis, ac debilibus, ijs tantùm & ſecretò carnes vendantur, qui à Medico facultatem ſcripto conceſſam, & à Vicario noſtro, ſeu perſona deputata, confirmatam habuerint.

Nè verò hoc Eccleſiæ præceptum ex ignorantia violetur, Parochi omnes vigilias, & Quatuor Tempora diebus Dominicis publicent, eorumq; obſeruantiã inculcent:

cu-

curentque, vt pridie eius diei certis Campanæ ictibus sub hora prima noctis populus instantis ieiunij moneatur.

De Sacramentorum administratione.

CAPVT IX.

ECclesiæ Sacramenta, signa visibilia inuisibilis gratiæ, ad animarum sanctificationem & salutem à Christo Domino instituta, sanctè & religiosè tractanda sunt. Quapropter, qui ad eorum ministerium deputantur, in Domino admonemus, vt Ritus, & Ceremonias, quas in illis administrandis Sancta præscripsit Ecclesia, ac in Rituali Libro disertè & piè admodum sunt expressæ, pari pietate, & veneratione adhibeant: obseruentque in primis, vt debita materia interueniat, ac integra verborum forma pronuncietur.

In eorum administratione Superpellicium, & Stolam semper adhibeant.

Quod gratis acceperunt, gratis in alios conferant: nec quidquam in Sacramentorum & Sacramentalium administratione, quamuis minimum, directè vel indirectè, per se vel per alium, sub quouis prætextu etiam consuetudinis petere, vel exigere audeant, sub pœnis à Iure constitutis, & alijs etiam arbitrio nostro infligendis. Quòd si spontè aliquid pro eleemosyna fuerit illis oblatum, ea mente recipiant, vt appareat, eos, non tàm rei familiaris augendæ, quàm ipsorum dantium, rationem habere.

Sæpesæpius moneant populum Parochi de Sacramentorum dignitate, de gratia, quam conferunt, de præpa-

ratione

ratione necessaria ad illa suscipienda, de reuerentia ac religione, quibus ad illa debent accedere.

De Baptismo.

CAPVT X.

Baptismus, omnium Sacramentorum ianua, per quem spiritaliter renati, ex filijs iræ filij gratiæ, atque æternæ hereditatis participes efficimur; quò maior illius est necessitas, eo ardentiori studio erit præstandus, & suscipiendus: cultu quoque & veneratione, quæ dignitati tanti Sacramenti respondeat.

Non alibi, quàm in Ecclesia propria, ministretur: nisi fortè vitæ periculum immineat. Nec differatur vltra triduum, aliàs Parentes seuerè puniantur.

Christianæ Religioni, quam fideles profitentur, valdè consonum est, vt nomina tantùm Sanctorum Baptizandis imponant: ad hoc, vt eorum quoque actiones & mores imitari conentur.

Ad suscipiendum Baptizatum de Sacro fonte non admittantur, qui quartum decimum suæ ætatis annum non attigerint: qui Fidei rudimenta ignorant, excommunicati, publicis criminibus notati, & qui proximę Paschatis tempore communionis præcepto non satisfecerint.

Ijdem Patrini instruantur à Parocho, vt quid agunt, diligenter intelligant; præsertim verò admoneantur Cognationis spiritualis, quam in eo munere contrahunt.

Mulieres obstetricis munus exercere nequeant, nisi

prius

prius à Parochis de Baptiſmi forma, ſaltem vulgari idiomate, inſtruantur, & approbentur, neceſſariamque facultatem à Vicarijs noſtris Generalibus, ſeu foraneis obtinuerint.

Expoſiti pueri, qui à perſonis ad id deputatis ad Hoſpitale conſuetum mittuntur, ſtatim, ac reperti fuerint, ad Parochum deferantur: & quamuis ex aliquo ſigno appareat, ipſos Baptiſmum ſuſcepiſſe, cum non ideò conſtet fuiſſe rite & rectè baptizatos, iterum ſub conditione baptizentur.

Curent ſimiliter Parochi, vt nulla interpoſita mora ad pręnarratum Hoſpitale deferantur: &, antequam exportentur, neceſſaria reficiantur alimonia, quemadmodum iam fuit à nobis prouiſum.

Parentes etiam ac Nutrices admoneant, vt infantes non in proprio lectulo, ſed in cunis, ſaltem per annum, retineant, vt omnis ſuffocationis periculum euitetur.

Hortentur Puerperas Parochi, vt iuxtà ſanctiſsimam & antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, cùm primùm à partu domo egredientur, Eccleſiam parochialem adeant, Deo Opt. Max. gratias agant, proprio Parocho ſe præſentent, & benedictionem ab eo recipiant.

Omne quoque ſtudium ponant, quo pia & laudabilis conſuetudo renouetur, benedicendi paruulos prima die, qua in Eccleſiam deferuntur; moneantq; etiam fideles, vt die ipſorum Baptiſmatis recurrente, recolant quotannis propoſitum, quo Diabolo & omnibus pompis eius abrenunciarunt: & pro eo, quod in Chriſto regenerati fuerunt, tanti beneficij memoriam orationibus, gratiarum actionibus, alijſque pijs operibus celebrent.

De Confirmatione.

CAPVT XI.

Confirmationis Sacramentum, licèt ad Nos magis, quàm ad Parochos, pertineat; eorum tamen etiam curam, atque ſolicitudinem ad dignam eius ſuſceptionem & miniſtrationem depoſcit. Moneant igitur fideles de virtute & effectu huius Sacramenti: nempe quod hi, qui per Baptiſmum regenerati fuerunt, per Confirmationem augentur in gratia, roborantur in fide, atque aduerſus dæmonum inſidias, carnis illecebras, ac mundi tentamenta muniuntur, adque Chriſti Domini nomen audacter confitendum fortiores fiunt.

Curent, vt ab omnibus ea Religione ſumatur, quam huius Sacramenti dignitas poſtulat.

Pueris, niſi poſt ſeptennium; adultis, niſi præuia peccatorum confeſsione, non conferatur.

Qui in ſuſceptione Baptiſmi nomen turpe, ridiculum, aut aliàs Chriſtianæ profeſsioni minimè decens, obtinuit; illud in his militiæ Chriſtianæ primordijs cum nomine alicuius Beati commutari curet, cuius mores imitari, & patrocinio apud Deum frui liceat.

Patrini ſint confirmandis natu maiores, vel ſaltem æquales. Non aſſumantur, qui prius huius Sacramenti charactere inſigniti non fuerint. Arceantur adulteri, excommunicati, interdicti, publicis criminibus notati, & qui Chriſtianæ fidei rudimenta neſcire comperti fuerint.

Inſtruantur à Parochis de ſpirituali cognatione, quæ huius

huius Sacramenti virtute inter Confirmantem & Confirmatum, illiusque Patrem & Matrem, interque Susceptum ac Suscipientem, contrahitur. Ante omnia autem eis explicetur, quam graue sit crimen Incestus, quod committunt, qui, postquam Compatres effecti sunt, cum Commatribus carnaliter se commiscent. cuius criminis absolutionem, cunctis Confessarijs interdictam, Nobis reseruamus.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

CAPVT XII.

Admirabile, & Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo Dominus noster Iesus Christus, verus Deus & Homo, verè, realiter, & substantialiter continetur; sicuti dignitate, & mysteriorum numero cæteris omnibus antecellit, ita præ cæteris sanctissimè colendum, religiosissimè administrandum, & decentissimè custodiendum est.

Itaque Parochi in primis Populum doceant, in hoc Sacramento sub speciebus panis & vini verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi cum Diuinitate, verè & realiter contineri, Eidemque propterea latriæ cultum exhibendum esse.

Curent, vt vna saltem Lampas ante Sanctissimam Eucharistiam die noctuque perluceat.

In Tabernaculo Sanctissimi Sacramenti aliud quidpiam, etiam Sanctum, præter ipsam Eucharistiam, non asseruetur.

Ad infirmos religiosè & honorificè deferatur, & ægrotantis domus, maximèque cubiculum, ab omni sorde purgetur.

Sanctissimum Sacramentum, pro quadraginta horarum vel minoris temporis Oratione, in quibuslibet Ecclesijs, Capellis & Oratorijs, etiam Regularium, & quomodolibet exemptis, sine licentia generalis Vicarij publicè non exponatur. Is verò ante omnia animaduertat, non solùm vtrùm debito cultu, & ea, qua conuenit, veneratione prædicta Expositio fiat, verùm etiam num tunc temporis fideles ad orandum adstituri sint. Indecens enim est, Deum Optimum Maximum, cui millia millium ministrant, & decies centena millia Angelorum assistunt, absque cōntinua orantium assistentia publicè ad orandum exponi.

Cum omnes vtriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenerint, ex Ecclesiæ præcepto saltem semel in Anno confiteri, & in Paschate Resurrectionis in propria Parochia Eucharistiam sumere teneantur; Parochi frequenter Populum huius obligationis admoneant, omnemque adhibeant diligentiam, vt quisque tam salutari præcepto satisfaciat. Qui autem, salutis immemores, illud implere contempserint, elapso Paschali tempore, publicè excommunicati denuncientur.

Prudenti eiusdem Parochi, seù Confessarij, iudicio relinquitur, in qua ætate pueri & puellæ sufficientem rationis vsum, & spiritualem rerum intelligentiam assecuti, adeoque ad Sanctissimam Eucharistiam recipiendam idonei reputari debeant.

Appropinquante ætate legitima, ijdem, ante Sacræ

cræ Euchariſtiæ ſuſceptionem, Sacramentum pœnitentiæ per aliquod tempus frequentare moneantur, & interim vim & dignitatem tanti Sacramenti perdiſcant.

De Sacrificio Miſſæ.

CAPVT XIII.

NVlla actio eſt tam ſancta, quæque maiori aut æquali Religionis cultu, mentiſque eleuatione tractari debeat, quàm Diuinum illud Sacrificium, quod in Miſſa peragitur; vbi idem ille Chriſtus incruenter immolatur, qui in Ara Crucis ſemel Seipſum cruenter obtulit. Sacerdotes igitur, vt ſalubriùs tantum munus exerceant, inprimis frequenter, & ſaltem ſemel in hebdomada, ſua peccata licèt venialia confiteantur. Tum in ipſo Sacrificio, quę altè pronunciari debent, clara & intelligibili voce pronuncient, & cęremonias præſcriptas diligenter obſeruent. Omnia demùm ita decorè, aptè, moderatèque præſtent, vt, qui Miſſæ intererint, & ad deuotionem, ac pietatem excitentur, & eius ſanctæ functionis virtutem, atque Sacrificij ſanctitatem agnoſcant, & venerentur.

Qui legitimo impedimento non detinentur, Dominicis, feſtiſque diebus rem Diuinam facere non prætermittant.

Curent, vt Miſſa, quantùm fieri poteſt, cum Officio concordet, neque Miſſæ vllæ recitentur, niſi fuerint in Miſſali Libro impreſſæ, vel à Sacra Rituum Congregatione approbatæ.

Nemo etiam Ritu atque Cęremonijs vtatur, quæ à formula institutoque S.R.E. sint alienæ.

Neque verò in Dominicis, & duplicibus Missas, vt appellant, votiuas, aut de Requiem, celebrari liceat.

Parochus, vbi solus sacrificat, eam potissimùm horam eligat, quæ Populo commodior erit; vbi verò celebrant plures, prima Missa dicatur circa Auroram, secunda hora tertia, postrema sub meridiem, reliquæ iuxta ordinem in Tabella præscriptum.

Dominorum curæ ac diligentiæ committimus, vt Pastores, Bubulci, vinearum & agrorum cultores, & omnes, qui ruri morantur, liberam festis diebus ad Missam veniendum habeant facultatem, & Parochi eos de hac obligatione assiduè moneant.

Qui ex suscepto onere ad celebrationem Missarum, certo loco, & die, & per se ipsos tenentur, non alibi, nec alio tempore celebrent, nec per interpositum Sacerdotem. secus obligationi suæ satisfecisse non censebuntur.

Sacerdotes quoscumque, Ecclesiasticum Beneficium obtinentes, etiamsi nullum ex testamento, vel legato, vel consuetudine pro defunctis celebrandi onus annexum habeant, hortamur; vt semel saltem in mense pro anima eius defuncti, qui Ecclesiam dotauit, vel aliquid ei legato vel donatione reliquit, Sacrificium offerant.

In qualibet Sacristia propria adsit Tabella, in qua descripta sint omnia Missarum, Anniuersariorum, ac reliquarum functionum onera, quæ ex pijs legatis, aut veteri consuetudine, ad tempus vel perpetuò, adimplenda sint.

Adsit etiam liber, in quo omnes Sacerdotes, vel Capel-

lani

lani, huiuſmodi onere adſtricti, quo die onus adimplent, notent manu propria ſe celebraſſe, ac tali oneri ſatisfeciſſe.

Ne pię Teſtantium voluntates depereant, obſtricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ ſuffragijs priuentur, Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles, graui ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur; S. m. Vrbani Octaui, ac S. Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum Decretis inhærentes, præcipimus & mandamus, ne maior Miſſarum celebrandarum numerus ſuſcipiatur, quàm per ſingulos dies, vel ſaltem per breue tempus poſſit ei ſatisfieri.

C. Concil. Trid. decr. de celebr. miſſ. iuſſu Vrban. 8. edit. 2. Iunij 1625.

Onera Miſſarum perpetua à Capitulis, ſiue quarumcumque Eccleſiarum Rectoribus, Cuſtodibus, ſiue piorum locorum Adminiſtratoribus, abſque noſtra licentia non ſuſcipiantur. Hactenus autem ſuſcepta, nemini priuata auctoritate, ex tenuitate redditus, ſeu alia de cauſa, reducere aut commutare liceat; ſed pro illis reducendis, moderandis aut commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur; quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur.

Si cuipiam pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis, celebrandis, plura ſtipendia, quantumcunque incongrua & exigua, ſiue ab vna ſiue à pluribus perſonis collata fuerint, aut conferentur; tot omnino Miſſas celebret, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint: alioquin ſuæ obligationi non ſatisfaciat, quinimo grauiter peccet, & ad reſtitutionem teneatur.

Prohi-



Prohibemus ſimiliter ijs, qui Miſſam ſuſceperunt celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committant.

Eos autem, qui Miſſarum oneribus non ſatisfaciunt, Parochus, & quilibet alius Eccleſiæ ſeu Capellæ Adminiſtrator, Vicario generali, quoties opus fuerit, denunciet, vt opportunis Iuris & Facti remedijs ad implenda onera compellantur.

Sacerdotes vagi, & qui benè cogniti non fuerint, non admittantur ad celebrandum, niſi oſtenſis literis teſtimonialibus, à Vicario recognitis.

Moneantur ſæpè fideles à Parochis & Concionatoribus, vt ſacrificio Miſſæ, non feſtis ſolùm diebus, ſed etiam quotidie, & deuotè interſint, ac diurna exercitia à tàm ſancto initio auſpicentur, iuxtà monitum Redemptoris: *Primùm quærite Regnum Dei.*

Eccleſiarum Miniſtris ſolicitè iniungimus, vt vaſa, indumenta, aliaque inſtrumenta ſacra munda ſint, & decentia, Calices verò, Corporalia, & Purificatoria omni nitore prǽfulgeant.

De Sacramento Poenitentiæ.

CAPVT XIV.

Poenitentiæ Sacramentum, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos à Chriſto Domino inſtitutum, quo maior eſt eius neceſſitas, eo maiori ſolicitudine curandum eſt, vt ab ijs tantùm Sacerdotibus adminiſtre-

nistretur, qui non periti modo, sed etiam prudentes, & charitate præditi sint.

Qui ad sacrum hoc munus approbati fuerint, in suis Ecclesijs assistant assiduè, audire parati quoscumque confiteri volentes; præsertim verò aliquot ante Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi diebus, in Hebdomada Sancta, necnon in solemnioribus anni Festiuitatibus.

Aduertant Confessarij diligenter, ne Confessiones defectu dispositionis, hoc est doloris aut propositi, nullæ fiant; curentque vt pœnitentes, non solùm à peccatis, sed etiam ab occasione peccandi, abstinere proponant.

Etiamsi rigor Canonum pœnitentialium, feruore fidelium refrigescente, remissus sit; studeant nihilominus Confessarij, se illi in iniungendis pœnitentijs, quantùm eis licuerit, conformare; tum quoad illarum quantitatem, vt grauitati culpæ & possibilitati confitentis suo modo respondeant; tum quoad qualitatem; vt non solùm satisfactionis, sed etiam medicinæ, vim habeant. Erunt autem huiusmodi, si contraria peccatis opera, vt si lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis humilitatem præcipiant.

Differant absolutionem eorum, qui in grauia & enormia scelera ex praua consuetudine incurrunt, quousque in eis propositum resipiscentiæ, & reuocandæ consuetudinis spem aliquo experimento perceperint.

Publicè peccantes, cum palàm, vt ait Apostolus, corripiendi sint, publica similiter pœnitentia afficiantur.

Confessario absoluendi eum, cuius ipse criminis socius, aut quocumque modo particeps fuerit, omnis iurisdictio, & facultas sublata sit. Quod si eum absoluere ausus

a ausus fuerit, excommunicatus sit eo ipso.

Caueant Confessarij, ne hoc munus extra Ecclesiam, præterquam in casu necessitatis,exerceant. Mulieres omninò in confessionalibus, & per craticulam ferream, vt moris est, audiant. Nec manè ante Solis ortum, aut vespere post occasum. Quod si tempore Quadragesimæ, aut Iubilei, propter multitudinem, citiùs aut tardiùs, audire eas oporteat, prouideant saltem, vt locus Ecclesiæ patens sit, & aliquo lumine resplendens.

Pecunias, aut munera à Pœnitentibus etiam leuissima nullo modo petant, aut in confessionali sede recipiant: nec eis pecuniarias pœnitentias frequenter imponant; impositas verò, eorum arbitrio erogandas relinquant.

Confessarij Regulares,confessiones Infirmorum in proprijs domibus audientes, Parochum de hoc eodem die certiorem faciant, aut saltem domi fidem auditæ confessionis, propria manu subscriptam, relinquant.

Medici Aegrotos,in lecto iacentes,cùm primùm eorum curam suscipiunt, moneant, vt infra triduum peccata confiteantur: &, nisi id pręstiterint, eorum curationem minimè prosequantur. Meminerintq;se ad id ex B.Pij V. Pont.Max. const.iureiurando adstrictos esse. quod si inuiolatè seruare neglexerint, pœnis in eo contentis, alijsq; arbitrio nostro infligendis, tamquam periuros seuerissimè puniendos.

Et quia in Ecclesia Dei perpetuò custoditum, & à Sacro Tridentino Concilio approbatum fuit, vt atrociora quędam & grauiora crimina à solo Episcopo in sua Diœcesi absoluerentur: Nos, tàm laudabile institutum

sequen-

ſequentes, infraſcriptorum criminum abſolutionem Nobis, & Sedi Epiſcopali, ac Vicario generali reſeruamus, omni alia Prędeceſſorum noſtrorum reſeruatione ſublata.

Caſus Epiſcopo Oſtienſi, & Veliternenſi reſeruati.

Blaſphemi, præſertim ex conſuetudine, vel hæreticales: abutentes Sacramentis rebuſque ſacris ad magicas artes, veneficia, ſuperſtitiones, & alia huiuſmodi.

Homicidium voluntarium committentes.

Abortum procurantes, etiam fœtus inanimati.

Inceſtuoſi in primo vel ſecundo gradu, conſanguinitatis vel affinitatis, etiam in cognatione ſpirituali.

Sodomitæ, & cum brutis coeuntes.

Falſum in iudicio deponentes in alterius præiudicium.

Percuſſores Parentum.

Cognoſcentes ſe carnaliter ante Matrimonium poſt contracta Sponſalia.

Confeſſarij itaque, tàm ſęculares quàm regulares, Tabellam caſuum in Cœnę Domini, atque horum, quos Nobis reſeruauimus, Sedibus Confeſſionalibus affixam ſemper retineant.

Parochus verò in Dominica Quarta Aduentus & Quadrageſimę cuiuslibet anni, tàm caſus Bullę Cœnę, quàm prędictos Nobis reſeruatos, inter Miſſarum ſolemnia Populo denunciet, atque declaret.



De Extrema Vnctione.

CAPVT XV.

CVm Clementissimus Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore de salutaribus remedijs prospexit, Extremę Vnctionis Sacramento in postremo vitę termino tamquam firmissimo quodam pręsidio eos muniri iusserit, animaduertant Paroclii, ne quis eorum culpa & negligentia absque illo decedat.

Et, licèt graui morbo tantummodo laboranti propèque morituro sit ministrandum, non est tamen expectandū, quousque infirmus sit sensibus destitutus, aut desperata eius salus; sed ministrare illud studeant sensibus adhuc integris, & rationis vsu vigente. Commemoret Parochus ægroto, si fieri possit, huiusmodi Sacramenti vtilitates. Eæ autem sunt, venialia peccata delere, animi languorem & infirmitatem, quam ex peccatis contraxit, auferre; eumque, spe Diuinę Bonitatis erectum, ad morbi incommoda lętius ferenda, & cum Diabolo dimicandum, mirabiliter confirmare. Hortetur denique, ea fide Sacerdoti se vngendum prębere, qua se olim Apostolis fideles offerebant; qui eiusdem sacrę vnctionis vi, non animo solum, sed etiam corpore, si pro ęterna salute expediret, sæpenumero sanabantur.

Accedat ad hoc Sacramentum ministrandum Superpelliceo Stolaque indutus, &, si plures Sacerdotes seu Clericos in eo ministerio adiutores habere non potest, vnum saltem adhibeat: adstantesque admoneat, vt secum

cum pro infirmi salute preces ad Deum fundant.

Quoniam verò hoc Sacramentum viuorum est, quia statum gratiæ in suscipiente requirit; omnem diligentiam adhibeat Parochus, vt æger, priusquam Sacro Oleo inungatur, confessus & Sacra Communione refectus sit. In casu verò repentinæ necessitatis, quo prædicta Sacramenta præmitti non poterunt, ægrotum ad contritionem saltem peccatorum & cordis pœnitentiam præinducat.

In vno eodemque morbo hoc Sacramentum non iteretur: nisi infirmus, semel vnctus, conualescat, & iterum in morbum incidat.

Domi à Parocho Sacrum Oleum non retineatur; sed in aliqua parte Ecclesiæ, sera & claue validè munita reconditum, asseruetur, epigraphe apposita, *Oleum Infirmorum*.

Cum verò singulis annis debeat renouari, & vetus comburi, quilibet Curatus teneatur in die Iouis Sancti, vel duobus sequentibus, mittere Sacerdotem, si habet, vel personam in sacris constitutam, aut saltem Clericum, vestibus Clericalibus indutum, non criminosum, & ad minus viginti annorum, cum tribus vasculis mundis & capsula, ad suscipienda Olea Sancta in nostra Cathedrali, ab Archipresbytero seu Substituto ad id destinato. Admonemusque eos, qui illa detulerint, alteri personæ ne tradant, nisi proprio Parocho, seu Sacerdoti ad animarum curam deputato, sub pœna suspensionis.



De Sacro Ordine.

CAPVT XVI.

VT à Domo Dei, quam omnis munditias decet & sanctitudo, quæcumque fœditas & impuritas arceatur; obsecramus omnes in Domino, præsertim Parochos, vt si quos nouerint ad Ecclesiasticam militiam aspirare, qui vitæ turpitudine, morum improbitate vel alicuius criminis labe notati fuerint, illos nobis seu nostro Vicario secretò deferant: vt illis tantummodo Clericalis honor conferatur, quos vitæ probitas & scientia, aut saltem scientiæ spes, dignos reddit.

Examinatoribus Synodalibus strictè præcipimus, vt in admittendis, vel Laicis ad Clericalem Tonsuram, vel Clericis ad singulos Ordines, quæcumq; ad eorum natalia, ætatem, scientiam, titulum &c. spectantia, salubriter à Sacris Canonibus, præsertim Sacri Concilij Tridentini, præscripta sunt, præ oculis habeant & exactè requirant. Præsertim verò inuigilent, ne Clericorum albo adscribantur, qui, non proposito fideliter Deo seruiendi, sed sæcularis iudicij fugiendi fraude, inter Clericos admitti petierint; quique in sacro ministerio perseueraturi, & vtiles Ecclesiæ futuri non videbuntur. Quod, vt quisque illorum fideliter exequatur, nullum sibi amorem vel odium, nullum timorem aut spem, nullum denique carnalem affectum, dominari patiatur.

Nullus laicus ad gradus Ecclesiasticos repentè promoueatur; sed per aliquod tempus probetur, an illius vocatio

catio descendat à Patre Luminum, & interim honestè ac laudabiliter vitam ducere comperiatur.

Interstitia similiter, à Sanctis Patribus constituta, seruentur, vt nimirum ad maiores Ordines nemo ascendat, nisi qui diutiùs in minoribus ministrauerit, vitamque suam & obsequia Ecclesiæ probare, contenderit.

Habentes Beneficia, quibus Ordo sacer adnexus est, si ad eum ordinati non fuerint, infra annum à die suscepti Beneficij illum suscipiant.

Quicumque aliquem ex Sacris Ordinibus suscepturi sunt, ij ex pia valde ac laudabili Constitutione f. m. Alexandri VII. ad Sacerdotes in Vrbe ad id deputatos, personaliter se conferant, à quibus decem saltem dierum spatio ante ordinationem in earum domo inclusi, de omnibus ad dignè suscipiendos, & ritè exercendos Ordines requisitis erudiantur, & de hoc testimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipsum Vicarium deferant, nec sine huiusmodi literis, quisquam ad vllum sacrum Ordinem promoueatur. Suffraganeus autem, qui contrafecerit, ab exercitio Pontificalium per annum; promoti verò, non seruata forma prædicta, ab executione Ordinum susceptorum, sciant ipso iure se esse suspensos: absolutione ipsimet Summo Pontifici reseruata.

Alexan. 7. Const. quæ incip. Apostolica.

Et nihilominus recens ordinati Presbyteri, Missam celebrare non audeant, nisi obtenta à Nobis vel à Vicario nostro speciali licentia: quæ non antea concedatur, quàm per fidem Magistri cęremoniarum, seu alterius personæ ad id deputatæ, constiterit, eos in sacris ritibus & cęremonijs plenè & sufficienter ad tam sacrum munus peragendum instructos esse.

De

De Matrimonio.

CAPVT XVII.

CVm Matrimonij Sacramentum Magnum ab Apostolo nuncupetur, vtpotequod in viri a emulieris coniunctione, mirabilem illum ac diuinum Christi Domini cum Ecclesia nexum repræsentat: moneantur à Parochis Sponsi, se in eo contrahendo, non humanum aliquid aggredi; sed diuinum, in quo singularem mentis integritatem & pietatem, adhiberi oporteat. Ideoque carnis illecebras & voluptates in eo minimè quærant; sed præstantissima bona, atque salutares effectus, qui ex hoc Sacramento proueniunt; nimirum Fidem, quam inter se perpetuò seruent; Prolem, quam si suscipiant, ad pietatem & religionem educent; Gratiam denique & virtutem Sacramenti, quam in sancta & indissolubili societate consequentur.

Habeant ijdem Parochi rectè cognita atque percepta, quæcumque in Matrimonijs legitimè conficiendis seruari oportere, Sacra Tridentina Synodus præcepit.

Abusus omnes, qui in eorum celebratione ac nuptiarum solemnitate contingere solent, penitus tollendos curent.

Aduertant, ne Sponsalia temerè contrahantur, neue contracta iniquo iure dirimi possint.

Antiquæ solemnium nuptiarum prohibitiones, ab Aduentu Domini vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschatis inclusiuè,

quas

quas Sacrosancta Tridentina Synodus renouauit, diligenter ab omnibus ac seuerè custodiantur.

Sponsi ante Matrimonij celebrationem, non tantùm simul non cohabitent; sed ne vllo quidem modo mutua consuetudine vel commercio vtantur: nec se inuicem, absque parentum seu propinquorum pręsentia, alloquantur: si verò copulam habuerint, absque graui & publica pœnitentia, absolutionem non obtinebunt.

Curent quoque Parochi, vt Sponsi peccatorum suorum Confessionem sacramue Communionem præmittant, & rem sanctam piè sanctèque exequantur.

Extra Ecclesiam, quę proprius Sacramentorum locus est, hoc Sacramentum minimè celebrent, absque licentia, à Nobis seu Vicario nostro generali in scriptis obtinenda: nec is eam passim, sed ex iusta tantum & rationabili causa, concedat.

Clandestina Matrimonia, & aliter, quàm in facie Ecclesiæ, coram proprio Parocho & testibus contracta, quemadmodum eadem Sancta Mater Ecclesia damnat, ita & nos damnamus; eorumque fautores, mediatores, conscios non reuelantes, complices, aliosue adhærentes quoscumque, anathematis alijsque à nobis infligendis pœnis mulctandos decernimus.

Denunciationes non remittantur, nisi à Nobis causa examinata, & facultas concessa fuerit. Nec fiant ad aliorum, etiam parentum, instantiam, nisi accedat ipsorum Sponsorum consensus. Post vltimam denunciationem non statim celebretur coniugium; sed detur aliquod tempus ijs, qui impedimenta cognouerint, vt rem examinare, deliberare & deferre queant: nec etiam nimium

diffe-

differatur; ſed poſt lapſum duorum menſium nouæ denunciationes præmitti debeant.

Impedimenta autem Matrimonij, quæ ſint, vt à ſuis plebibus benè teneantur, Parochi, ſemel ſaltem in anno inter Miſſarum ſolemnia, populo recenſeant & exponant.

Illa autem ſcientes, & non reuelantes, poſtquam denunciationes in Eccleſia factas fuiſſe intellexerint, aut falſa impedimenta doloſè affingentes, excommunicationem incurrant.

Si aliquod impedimentum, etiam vnico teſte, detectum fuerit, Parochus à celebratione Matrimonij abſtineat, donec cauſa à Nobis, ſeu Vicario noſtro generali, cognita fuerit.

Cum rationi ac honeſtati apprimè conſonum ſit, etiamſi ad Sacramenti validitatem minimè neceſſarium, quòd filijfamilias in re tanti ponderis & momenti, parentum, vel eorum, quorum fidei ac poteſtati ſubiecti ſunt, voluntatem & conſilia ſequantur; Parochi, antequam Matrimonio illorum aſſiſtant, de illorum conſenſu requirant: & ſi quid difficultatis occurrerit, Nos conſulant, vt quid in ea re congruum viſum fuerit, decernamus.

Exterorum verò & peregrinorum, ac etiam viduorum coniugia non permittantur, niſi ante denunciationes de libero eorum ſtatu in noſtra Curia legitimè conſtiterit, ad præſcriptum literarum Sacræ Congregationis ſupremæ Inquiſitionis, in Appendice harum Conſtitutionum imprimendarum; & neceſſaria à nobis facultas in ſcriptis conceſſa fuerit.

Qui Matrimonium in gradu prohibito per ignoran-

tiam

tiam contraxerint, ſtatim,atque impedimentum agnouerint,ſeparentur;nec antea coniugij vſum exerceant,quàm id ſibi fuerit diſpenſationis beneficio permiſſum: ſi verò ſcienter, ita ſegregentur, vt ſpe diſpenſationis perpetuò careant.

Nemo audeat, directè vel indirectè, perſonas ſibi ſubiectas, vel alias quaſcumque, quouis modo cogere ad determinata & particularia Matrimonia incunda, ſub pœna anathematis, ipſo facto incurrenda.

Mulier abrepta per vim, in tutum locum reſtituatur; Epiſcopo conſulto, vt quid ea de re agendum ſit, maturius decerni poſſit. Raptori verò, Matrimonium contrahere non permittatur, niſi priùs violato iuri, per pœnitentiam, quæ tanto ſceleri debetur, cumulatiſſimè ſatisfecerit.

Diſpenſationes Matrimoniales, à Sede Apoſtolica conceſſæ, nobiſque commiſſæ, executioni non demandentur, niſi, informationibus diligenter præmiſſis, eas veritati niti conſtiterit.

Nemo matrimonialem thorum quauis de cauſa deſerere, vel ab alterius coniugis domicilio & conuictu temerè diſcedere præſumat, qui prius huiuſmodi diuortij ſeu ſeparationis cauſam in noſtra Curia non probauerit, abque Nobis per legitimam ſententiam eiuſdem ſeparationis veniam obtinuerit: ſi ſecus aliquem feciſſe vel decreuiſſe Parochus animaduerterit, rem omnem ſtatim, ac benè compertam habuerit, ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum deferendam curet.

De Sacramentalibus, & pijs Ecclesiæ Consuetudinibus.

CAPVT XVIII.

SAncta Mater Ecclesia, Diuino Spiritu suggerente, Sacramentis, à Christo Domino institutis, pios quosdam ac religiosos ritus & ceremonias adiecit, quæ illorum solemnitatem & æstimationem augerent, & sublimes arcanosue effectus fidelibus significarent, altiusque mentibus illorum infigerent. Nonnullas preterea seorsim à Sacramentis, ad certa mysteria declaranda, certosque effectus & gratiæ dona à Deo impetranda, instituit. Quæ omnia, siue quia Sacramentis accedunt, siue quia Sacramenta extrinsecus imitantur, Sacramentalia dici consueuerunt. Et hæc quoque à Parochis sanctè ac religiosè, tempore, modo ac forma, quæ in Missali ac Rituali Romano præscripta sunt, exequenda decernimus & præcipimus, sublatis abusibus, si qui iniuria temporum irrepsissent.

Atque in primis, in benedictione Fontis Baptismalis, quæ fit in Sabbato maioris hebdomadæ, meminerint Parochi, ex aqua sanctificata, & benedicta, priusquam illi sacra olea misceantur, seponere ad benedicendas domos suorum Paræcianorum, vt iam olim receptum est.

Singulis præterea diebus Dominicis, Missam Conuentualem celebraturus, præmittat benedictionem aquæ, quæ fit cum salis præsanctificati infusione; vt illa aspersi fideles, contra Diaboli insultus & insidias muniantur.

Non

Non omittant benedictionem Candelarum in Festo Purificationis Beatæ Virginis, aut Ramorum in Dominica, quæ dicitur Palmarum: quas & quos fidelibus distribuant: ad illorum tamen domos deferre minimè teneantur.

Fiat quoque ab eisdem initio Quadragesimalis ieiunij benedictio Cinerum, ex combustis ramis oliuarum anni præteriti, eisque de more capita fidelium aspergantur.

Moneant subiectos populos, vt in Paschate Resurrectionis deferant in Ecclesiã Agnos, oua & alia comestibilia, sacris precibus, iuxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem, benedicenda. Eosdem, ante Candelarum & Ramorum distributionem, & impositionem cinerum super capita eorum, de istorum rituum significatione præmoneant; præparentque illorum animos, vt ad illa recipienda deuotè, sine strepitu aut tumultu, concurrant: potissimum verò, vt caueant, ne his sacris rebus ad sortilegia aut superstitiones vtantur, & omninò ad alios fines, quàm ad quos illas Catholica Ecclesia destinauit.

Seruetur quoque laudabilis vsus inuitandi quotidie populum ad salutationem Deiparæ; signo Campanæ maioris triplici ictu, tàm summo mane, quàm in meridie, & sero occidente Sole.

Cùm ingruunt tempestates, & tonitrua sentiuntur, Ecclesiarum Pastores Diuinam opem implorent, adhibitis precibus, quę in Missali aut Rituali ab Ecclesia præscriptæ sunt; Campanasue pulsari iubeant: &, si necessitas id postulare videatur, etiam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum è Tabernaculo extrahant, exponantque super

Altari, & ante Illum, Cui mare & venti obediunt; & Qui imperat tempestatibus, vnà cum Clero & populo se prosternant; eius misericordiam cum gemitu & lacrymis postulent, orentque vt fiat tranquillitas, & à malis imminentibus liberentur.

Exorcismos cum energumenis adhibère, absque nostra speciali licentia in scriptis obtenta, nemini liceat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, alijsque arbitrio nostro infligendis: omnesque licentias, hactenus ad id concessas, reuocamus & irritas haberi volumus.

De Processionibus.

CAPVT XIX.

INter alios ritus, quos, à Sancto Spiritu edocta, recepit custoditque Ecclesia Catholica, ille est, cùm Clerus & populus, composito ordine, ab vna ad aliam Ecclesiam deuotè, cum hymnis & canticis spiritualibus, aut cælestium agminum inuocatione, procedit; quę proinde & Processiones & Supplicationes, necnon etiam Litaniæ, dicuntur. Et in tota Ecclesia statutis diebus communi lege fieri solent, pro communibus eiusdem necessitatibus, & receptis beneficijs. Certis præterea festis, in locis peculiaribus, ad solemnitatem augendam. Quandocumque verò generale aut speciale alicuius loci periculum imminet, aut beneficium cælitus receptum est, generales aut speciales Processiones extra ordinem indicuntur, siue ad deprecandum periculum, siue ad gratias Deo habendas. Et in his omnibus, Cleri ac populi Nobis subie-

cti obedientiam, deuotionem & pietatem; actionis sanctitati conuenientem, requirimus & haberi satagimus.

In maioribus igitur & minoribus Litanijs, & in Festo Corporis Christi, & quando ob publicam causam, generales à nobis Processiones indici contigerit; Clerici omnes, siue in maioribus siue in minoribus Ordinibus constituti, officium vel beneficium ecclesiasticum possidentes, cum veste talari & superpelliceo ac bireto interueniant. Omnes item Regulares, etiam Monachi, & Sodalitates laicorum, quæ hactenus interuenire consueuerunt, cum proprio sacco, Cruce & Vexillo seu Labaro: & omnes in Cathedrali vel alia destinata Ecclesia, præscripta hora, conueniant: indeque suo quique loco ad Ecclesiam præscriptam bini, in signum vnitatis ac geminæ caritatis, procedant, seruantes debitum & æquale interuallum; cum grauitate, silentio & deuotione: cauentes à risu, iocis & colloquijs; publicèque canentes, aut priuatim orantes, & Deum demereri studeant, & reliquum populum ad pietatem & deuotionem accendere. Qui autem sine iusta causa abfuerit, punietur.

Si controuersia aliqua de præcedentia suboriatur in tempore, ea ad Nos deferatur, & à Nobis seu Vicario nostro sententia expectetur. Si verò in ipso actu processionis insurgat, tunc deprecamur partes, vt ad vitandum scandalum, protestatione coram testibus facta, vltro inuicem pro Dei amore cedant, nullum sibi præiudicium, pro vnico illo actu, generaturi.

Prohibemus spectacula in Processionibus: &, si pueri aut puellæ Societatis Doctrinæ Christianæ, Angelos aut San-

Sanctos amictu referant, stolis sacerdotalibus, vel alijs sacris vestibus minimè vtantur.

Instante Processione, viæ à vicinis purgentur & scopis mundentur, officinæ claudantur, opifices, etiam si dies profestus sit, ab operibus vacent.

Absque nostra licentia nouæ Processiones nec à sæcularibus, nec extra eorum claustra à Regularibus, fiant.

De Funeribus, Sepulturis, ac Quarta funerali.

CAPVT XX.

CHristianorum cadauera, qui, Baptismo sanctificati, in Dei gratia decessisse piè creduntur, prouida Mater Ecclesia in loco sacro sepelienda constituit; tum vt animæ sic decedentium, eorum, qui illa frequentant, precibus & sacrificijs à pœnis Purgatorijs subleuentur; tum vt cadauera ipsa, quæ tamquam socij pugnæ ad participandam triumphi gloriam ab animabus olim resumenda sunt, interim veluti sacra pignora in sacro loco custodiantur. De hoc igitur Christianæ Charitatis officio, infrascripta decreta statuenda duximus, & obseruanda.

In Ecclesijs Parochialibus adsint Sepulturæ seorsim pro Sacerdotibus, & pro Infantibus decedentibus cum Baptismo.

Capsæ omnes & deposita, seu alia cadauerum conditoria, super terram existentia, amoueantur, & ossa in Cœmeterijs aut sepulturis profundè sub terram collocentur.

Nulla

Nulla item ſepultura ſit ſub Altari; &, ſi aliqua reperiatur, nullum in illam inferatur cadauer; ſed omninò claudatur, nunquam aperienda.

Pauimentum Eccleſiæ pro ſepeliendo cadauere ne fodiatur abſque licentia Vicarij generalis; nec vlla lapidi ſepulchrali fiat inſcriptio, quę prius à Nobis approbata non fuerit.

Non extrahantur è domo cadauera, niſi pręſente Parocho, aut ſaltem conſentiente: is autem extrahi ne permittat ante horas ſaltem duodecim ab interitu elapſas; &, ſi quis repentino morbo deceſſerit, ante vigintiquatuor: & nullum ſepeliatur ante Solis ortum, vel poſt occaſum, ſine licentia Vicarij; in Ciuitate, generalis; in alijs locis, foranei. Semel item ſepulturæ tradita, Nobis & Vicario noſtro generali inconſultis, ne exhumentur, aut de vno in alium locum transferantur.

Parochi pro ſepultura minimè paciſcantur; ſed conſuetis eleemoſynis contenti ſint: pauperum verò cadauera gratis ſepeliant; &, ſi hęredes adeò miſerabiles ſint, vt nihil omninò in funus queant impendere, teneantur ipſi de proprio duas ſaltem candelas in illo adhibere.

Sepultura mortuorum ſub quouis prętextu compoſitionis Quartę Funeralis, nunquam retardetur; qua in re ſeruari mandamus decretum Congregationis R R. Pręfectorum Vrbis, à fel. rec. Vrbano VIII. approbatum ſub die 22. Martij 1629. tenoris ſequentis, videlicet:

Intortitia, cerei, & candelæ, quæ per viam deferuntur circa cadauera, in quibuſcumque priuatis Eccleſijs, diuidenda ſunt pro æquali portione inter ipſos Parochos & Miniſtros aliarum Eccleſiarum quarumcumque, etiam regularium,

larium, & nationalium, in quibus ſepeliuntur; ac propterea, quando huiuſmodi intortitia, ſeu cerei & candelæ, in præfatis Eccleſijs pro celebrandis Diuinis Officijs, præſente corpore, accenduntur; finito Officio extinguenda, & cuique medietas conſignanda eſt.

Infantium corpora, qui ſine Baptiſmo pereunt, prope Eccleſiam, ſed in loco non ſacro, tumulentur: fœtus tamen in ventre Matris exiſtens, tamquam viſcerum eius pars, ſepeliatur cum Matre.

Tandem arceantur ab eccleſiaſtica ſepultura omnes infraſcripti, & illorum cadauera ab Eccleſia ita procul amandentur, vt Clericorum canentium voces inde exaudiri non valeant. Qui aliter fecerit, pœnis canonicis, alijſque noſtro arbitrio ſanciendis, mulctabitur: &, ſi corpora iam ſepulta diſcerni poterunt, exhumentur; & Eccleſia ſeu Cœmeterium reconcilietur. Ij autem ſunt

Publici Excommunicati, & denunciati interdicti, dum viuerent, ab ingreſſu Eccleſiæ.

Mortui in duello aut in prohibitis torneamentis.

Hæretici.

Notorij Clericorum percuſſores, etiam nulla facta declaratione aut denunciatione.

Publici blaſphematores Dei & Sanctorum, niſi pœnitentiæ ſigna euidentia dederint.

Publici Vſurarij, Fures, Latrones, Raptores, niſi dum adhuc viuerent, alienum reſtituerint, vel ſaltem idoneam de ſatisfaciendo, quantum in illis eſt, cautionem, de qua legitimè conſtet, reliquerint.

Qui eo anno confeſſi non fuerint, & Sacram Communionem ex præcepto Eccleſiæ non ſumpſerint, aut in obi-

tu

tu culpabiliter id non præstiterint.

Qui denique in peccato publico & manifesto ex hac vita migrauerint absque contritionis signo, saltem in articulo mortis.

Porrò, ſicuti Epiſcopus, dum in humanis agit, communi omnium ſaluti laborat; ita æquum eſt, vt eidem poſt eius obitum omnes gratos ſeſe ac memores prębeant. Itaque, quamdiu Epiſcopi defuncti proximus ſucceſſor vixerit, pręcipimus & mandamus, vt in ſingulos annos, recurrente die in Cathedrali Eccleſia, pręſente Clero, illius Anniuerſarium Officium cum Miſſa defunctorum ſolemniter peragatur. Quòd ſi ille impeditus fuerit, præcedenti præoccupetur. Parochos ſimiliter hortamur, vt Prædeceſſorum ſuorum Officia quotannis celebrent.

De Sacroſanctis Eccleſÿs, earumque veneratione, atque Immunitate.

CAPVT XXI.

SAcra Templa, quæ, etſi manufacta, Maieſtate tamen Domini plena ſunt, & in quibus Deus, qui vbique adeſt, ſpeciali munere benignitatis ſuæ oculos habet apertos, & aures erectas ad fidelium preces, & Sacerdotum ſacrificia excipienda; In quibus vnigenitus Dei Filius immolatur & ſumitur; Vbi peccata delentur, & cæleſtium bonorum, ac Chriſti Domini promiſſionum participes efficimur; magna vtique cum pietate ac religione conſtrui, ornari & cuſtodiri merentur; nec minori deuotione & veneratione frequentari debent. In

primis itaque, cum indignum sit, vt Domus Dei Altissimi, aut forma contemptibili ædificetur, aut constructa, necessarijs ornamentis & cultu destituatur; nemini, absq; nostra licentia, nouas Ecclesias, Capellas vel Altaria, vel nouum vllum in Ecclesijs nostrarum Diœcesum ędificium, erigere vel construere; nemini item constructum diruere, vel in alium locum transferre, liceat. Quæ autem Ecclesiæ aliqua ex parte collapsæ fuerint, illæ Christiana pietate, iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum, reparentur & instaurentur: quæ verò temporum iniuria ita collapsæ ac derelictæ sint, vt pro dignitate non possint restitui, ex eiusdem Sacri Concilij Sanctione pęnitus destruantur, &, si fieri potest, aliò transferantur: ea cautione, vt tigna, lateres & cęmenta prophanis ædificijs non applicentur, ibique venerabile signum Crucis collocetur.

Nulla familiarum Insignia vel personarum elogia, Nobis & Vicario nostro generali inconsultis, in Ecclesijs affigantur vel inscribantur. Nulli vicino per murum intermedium prospectus in Ecclesiam permittatur.

Turres, in quibus Campanæ suspensæ sunt, ita custodiantur, vt non omnibus in illas ingressus pateat. Campanæ nouiter fusæ in illis non collocentur, nec vsui Ecclesiastico deputentur, priusquam à Nobis sacris precibus & ritibus benedictæ fuerint. Eædem verò non, nisi statutis horis pulsentur, nec temerè ad res prophanas significandas adhibeantur.

Curent Ecclesiarum Rectores, & eorum ministri, vt eędem mundæ ac nitidæ custodiantur, & à puluere ac sordibus frequenter expurgentur, ne quicquam in illis conspicia-

ſpiciatur, quod intrantium oculos poſſit offendere; ſed omnia deuotionem ac pietatem ſpirare videantur. Idem de Sacriſtia; idemque de Turri ſacra ſuo modo ſancitum volumus. Cœmeteria parietibus concluſa ſint, ab eiſque arbores, ſi quæ ſunt, & herbæ eradicentur & euellantur.

Ne exterius quidem Eccleſiæ muri ſordeſcere & inquinari permittantur, aut quidpiam circa illos fieri, quod cum loci maieſtate ac ſanctitate non congruat.

Arma quælibet, excepto enſe vagina tecto, intra Eccleſiam non deferantur.

Pauperes, & eleemoſynarum quæſtores in Eccleſijs non conſiſtant, aut per eas vagentur; ſed extra portas modeſtè mendicent. Abigantur etiam Canes.

Eccleſiaſtica ſuppellex, vaſa, veſtes & ornamenta, diligenter aſſeruentur, munda & nitida cuſtodiantur, &, cùm opus fuerit, inſtaurentur aut renouentur: nec ad prophanos vſus accommodentur, aut obſoleta prophanentur; ſed potius comburantur. In quibus verò Eccleſijs deſunt, ij, ad quos ſpectat, ea quamprimum confici curent.

Hortamur autem fideles ac deuotas noſtrarum Diœceſum plebes, quantum cum Domino poſſumus, vt, quandiu à Cęleſti Patria exules peregrinamur à Domino, Sacra Templa frequenter, diebus præſertim Dominicis ac Feſtis, adeant, & in eis, Cæleſtium Ciuium gaudia meditantes, almæque Sionis ęmuli, diem in ſupremi Sponſi laudibus & canticis tranſigant; vt Illius deſiderio magis accendantur, & in eius ſpem erecti, ęrumnas pręſentis exilij facilius perferant. Qua in re, ſicut Veliternæ

huius Ciuitatis Magiſtratus, dilectorumque nobis in Chriſto Priorum pietatem laudamus, qui hanc Cathedralem aliaſque Vrbis Eccleſias aſſiduè inuiſunt, ſuaque præſentia, obſequijs, donis, ac oblationibus munerantur; ita illos ad perſeuerantiam cohortamur, vt ſua auctoritate & exemplo cæteros ad eadem & ſimilia pietatis & religionis officia inducere pergant: magnum vtique operæ ſuæ pretium & mercedem, à liberaliſſimo retributore Deo, in præſenti & futura vita reportaturi.

Potiſſimum verò fideles eoſdem monitos volumus, ne ad Eccleſias accedant, ex vſu & conſuetudine quadam, quia ita ſolent, & quaſi humana negocia peracturi; ſed cogitent, ſe Diuinam adire præſentiam, adeoque accedant mente impolluta, compoſito habitu & humili inceſſu, & cum timore ac tremore Templum intrantes, flexo poplite, vel etiam corruentes proni in terram, adorent Viuentem in ſęcula ſæculorum. Caueant verò pluſquam à facie Colubri, ne in loco ſacro, quem Altiſſimi Maieſtas implet inhabitatque, quemque omnimoda decet ſanctitudo, quicquam efficiant, quod Dei ipſius iuſtitiam ad ſeueritatem & vltionem prouocet atque irritet.

Atq;ad hoc Rectorum Eccleſiarum ac Pręfectorum Sacriſtiæ,quibus id pręcipuè incumbit,vigilantiam & ſolicitudinem enixè requirimus, eiſque ſtrictè mandamus, vt Diuini honoris zelatores ac vindices ſe exhibeant, nec permittant, domum orationis, domum negociationis fieri,aut ſpeluncam latronum. Eijciant de Templo quaſcumque ſcęnicas aut forenſes actiones, & prophanos congreſſus. Non permittant in Domo Dei deambulationes, ſtrepitus, cachinnos, colloquia. Inculcent frequenter

ter fidelibus reuerentiam & timorem debitum loco sacro, & admoneant eos, qui talia agunt, Diuinam sibi iram thesaurizare.

Prope Ecclesiam nec impudicas mulieres degere permittant, nec quemquam choreas ducere, aut ludis cuiuscumque generis vacare, presertim dum Diuina Officia celebrantur.

Anniuersarius dies, quo Ecclesia consecrata & dicata fuit, magna solemnitate & ipsius Ecclesiæ ornatu, celebretur: quod si Consecratio certa sit, dies autem incerta, nostra auctoritate designabitur.

Prophanæ imagines ad festorum ornatum nullibi suspendantur, nec intra nec extra Ecclesiam.

Si aliquam Ecclesiam pollui & violari contigerit, curet Rector, vt quamprimum Episcopali benedictione in pristinam dignitatem & nitorem restituatur: interim verò clausa sit, nec vlla in ea Diuina Officia celebrentur.

Immunitas, Ecclesiæ ac locis sacris debita, inuiolatè seruetur, reique ad ea confugientes, quantumuis grauia delicta commiserint, tuti sint; & ab eis, nec directè vel indirectè, via compulsiua vel impulsiua, nec subdolis vel blandis verbis, extrahi permittantur. nisi ex illis fuerint, quos in sua Constitutione f. m. Gregor. XIV. ab hoc beneficio exclusit. Hi autem sunt

Publici Latrones.

Grassatores viarum, & depopulatores agrorum.

Homicidium proditorium proximi committentes.

Qui homicidia, aut membrorum mutilationes in ipsis Ecclesijs perpetrauerint.

Assassini.

Hær-

Hæretici.

Læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei;

Sed & hos quoque concedere nemini liceat, nisi Nobis consultis, & iuxta modum in ea Constitutione præscriptum.

Occisorum cadauera in locum sacrum non inferantur, priusquam Iudices ex illorum inspectione cędis, quam solent, notitiam capiant. Semel autem illata, & iterum ad hunc effectum exhumata, nec in Ecclesia nec in Sacristia, aut Turri sacra, nec in Cœmeterio, quin, nec in domo Ecclesiæ, inspiciantur; nec in his locis formentur processus, aut testes examinentur; sed aliò recognoscenda transferantur; &, postquam inspecta fuerint, reportentur, & iterum sepulturæ tradantur.

Custodes Ecclesiarum ad refugium non admittant Bannitos, Decoctores, aliosue ęre alieno grauatos, cum detrimento Reipublicæ aut Ciuium: quod si, illis irrequisitis, se in Ecclesias receperint, illicò Nos admoneant, vt, priuilegio Ecclesiæ minimè temerato, quid facto opus sit, loci, temporis & personarum qualitate pensata, deliberemus.

De Sacris Reliquijs.

CAPVT XXII.

Sanctorum Corpora, qui in terris Christi membra, & viua Spiritus Sancti Templa fuere, nunc verò cum illo in Cælis regnantes, locorum, in quibus eorum Lypsana custodiuntur, Pręsides & Tutores sunt, multaque

e ad deuotum illarum contactum beneficia impe-
nt, sacro cultu veneranda & religiosa æstimatione
ɔsequenda esse, Catholica Ecclesia semper docuit,
reipsa executa est. Nos igitur eiusdem Sanctæ Matris
clesiæ doctrinæ inhærentes, & vestigijs insistentes,
ɔnnulla ad Sacrarum Reliquiarum cultum & custodiam
rtinentia, statuenda decernimus.

Et in primis, ne quisquam etiam regularis nouas
eliquias, absque nostra recognitione & approbatio-
:, publicæ venerationi exponere audeat, sub pœ-
ı excommunicationis: Sed incertæ Reliquiæ, seor-
n repositæ, decenter quidem, priuatim verò custo-
iantur. Si quæ verò nouiter detectæ fuerint, minimè
ːtrahantur; sed illi, ad quos spectat, ad Nos secre-
ı id deferant, vt, re maturè considerata, quid de illis
ʒendum sit, adhibitis Sacri Concilij Tridentini re-
ulis, statuere possimus, absque strepitu & populi con-
ursu.

Vascula, Sacris Reliquijs asseruandis destinata, prius-
uam illas recipiant, benedicantur.

Non omnium manibus promiscuè contrectentur; sed
orum tantùm, quibus res sacras diuinasque continge-
: & tractare permissum est.

Vasa, Sacras Reliquias continentia, honestis thecis,
|uæ serico intrinsecùs indutæ sint, inclusa, non in arcis,
rmarijsque, in quibus sacræ vestes, aut vasa ad vsum re-
ɔoni solent; sed in aliquo honesto Ecclesiæ aut Sacristiæ
ɔco, ad hunc effectum electo, qui humido aeri non sit
ɔbnoxius, recondantur: & is quoque intrinsecùs serico
restiatur, extrinsecus Sacris Imaginibus, sculptis ex ma-
teria

teria, quantum per vires licet, pretiosa, apposita inscriptione, qua intelligatur, Sanctorum inibi Reliquias asseruari.

Lampas ante Sacras Reliquias appensa perpetuò maneat: & quidem, si illæ insignes sint, & vires Ecclesiæ ferre possint, semper accensa: secus diebus saltem festiuis, vel ad minus solemnioribus; & presertim in Anniuersario Sanctorum, quorum illæ partes fuerunt: quo etiam die, si corpus sit integrum, vel pars eius insignis, vt caput, brachium, crus, vel ea, in qua Martyr est passus, modò sit integra, non parua, & legitimè approbata, festum de Sancto in ea Ecclesia celebrari, & Officium sub ritu duplici recitari poterit.

Non ostendantur Sacræ Reliquiæ ob curiositatem, vel ex qualibet leui causa; sed tantum ob deuotionem, habita ratione dierum & personarum, nec extrahantur è vasculis, nec sine crystallo medio deosculandæ prębeantur: nec in infirmorum domos, sine Vicarij nostri licentia, deferantur.

Non audeat Rector Ecclesiæ, vel quiuis alius, Sacrarum Reliquiarum partem, vel sibi subtrahere, vel alteri personæ, cuiusuis dignitatis & præeminentiæ fuerit, concedere; vel in aliam Ecclesiam propria auctoritate transferre: secus excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrat.



De

De Sacris Imaginibus.

CAPVT XXIII.

IMagines Christi Domini, Deiparæ Virginis & Sanctorum, pingi & honorari, mos antiquissimus est in Ecclesia, ab ipsis Apostolorum temporibus deriuatus. Illæ enim, præ oculis positę, Sanctorum, quos intueri non licet, absentiam quodammodo supplent, figuram eorum, & acta, & gloriam, qua perfruuntur, oculis ipsis, quantum fieri potest, cernendam exhibentes: ob quod idiotarum & rudium, qui legere nesciunt, libri appellari solent. Cum igitur aptæ sint, intuentes ad Sanctorum, quos repręsentant, memoriam, venerationem, deuotionem & imitationem erigere, rationabiliter introductæ & receptæ sunt: Et, cum Imagines eorum sint, quos religioso cultu prosequimur, horum intuitu etiam illas iure veneramur. Quam rem Parochi rudioribus & mulierculis, si illos in ea errore aliquo laborare suspicabuntur, ingerere & explicare non prætermittant.

Summoperè verò curandum est, vt Sacræ Imagines, præsertim quæ in Ecclesijs publicè ad venerationem fidelium exponuntur, tales sint, vt eos ad deuotionem & pietatem excitare valeant. quod Sacra Tridentina Synodus, & s. m. Vrbanus VIII. studiosè obseruari iubent. Et Nos, illorum statuta religiosè custodiri volentes, pręcipimus, ne vlla Imago aut tabula depicta, in Altari vel alia Templi parte collocetur, priusquam à Nobis aut Vicario nostro recognita & approbata fuerit.

Si quæ autem ex iam expositis, ineptè depictæ vel parum piè, non deuotionem, sed offensionem & scandalum excitare possunt; curet Ecclesiæ Præfectus, vt quamprimum emendentur & corrigantur: &, si id fieri non potest, deleantur penitus & auferantur. Idemque fiat, si quæ præ nimia vetustate exesæ sint, aut, situ & squalore obsitæ, vim animos ad deuotionem pertrahendi amiserint.

In pauimentis & locis sordidis sacrę Imagines non effingantur; &, si quæ fictæ sint, remoueantur: nemoue illas præ foribus tabernæ pro insigni suspendat.

Nulla Imago in Ecclesia tamquam miraculosa sine Ordinarij licentia cooperiatur; & si qua miracula ad aliquam Imaginem Deus operari dignabitur, ea similiter absque nostra licentia non publicentur.

Eorum Imagines & simulachra, qui cum sanctitatis aut martyrij fama decesserunt, cum laureolis, radijs aut splendoribus pingere aut efformare nemini liceat, quousque illi per Sedem Apostolicam Sanctorum aut Beatorum cathalogo adscripti fuerint. Neque Votiuæ tabellæ, aut quidquam aliud ad illorum cultum pertinens, in Ecclesijs, Oratorijs, vel alijs publicis aut priuatis locis, tàm sæcularium quàm Regularium, apponatur; &, si appositum fuerit, auferatur. sub pœnis, pro facti & personarum qualitate, nostro arbitrio irrogandis.

Si quæ verò defunctis huiusmodi tabulę ac vota à fidelibus pro acceptis, vt ipsi asserunt, beneficijs oblatę fuerint; illę vnà cum eorum attestationibus exceptę, secreto loco extra Ecclesiam reponantur, vt à f. m. Vrbano sancitum est: res autem statim ad nos deferatur.

Ad

Ad vitandam in rebus ſacris deriſionem, multorumque ſcandalorum materiam, interdicimus, ne actiones ſeu repræſentationes Paſſionis Domini noſtri aut Sanctorum Martyrum, aliarumue hiſtoriarum ſacrarum, in loco Iuriſdictionis noſtrę, ſiue ſacro ſiue prophano, habeantur, abſque noſtra aut Vicarij noſtri licentia in ſcriptis obtenta, ſub graui pœna, arbitrio noſtro infligenda.

De Sacris Indulgentijs.

CAPVT XXIV.


INdulgentiæ, ſeù pœnarum culpis ſuperſtitum Remiſſiones, quę de theſauro Eccleſiæ, inexhauribili Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti ac Sanctorum meritis exundante, à Chriſti Vicario benignè ac prouidè in animarum ſubſidium diſpenſantur; à Chriſti fidelibus, quibus ſalus cordi eſt, quique rationes & computa cum Deo expungere ſatagunt, auido & hilari animo amplectendæ ſunt; & opera, quæ ad illas lucrandas imponuntur, non ſolùm exactè, ſed etiam cumulatè exequenda.

Hortamur igitur ſubiectas Nobis plebes, vt cęleſtes hoſce theſauros quanti par eſt facientes, Eccleſias, vbi propoſiti ſunt, frequenter ac deuotè viſitent; non modò ſæculi depoſitis vanitatibus; ſed etiam domeſticis negotijs intermiſſis: vt tàm pretioſi doni participes fiant. Vt autem debitam earum ęſtimationem teneant, & ſimul, quæ ad eas conſequendas pręſtari oportet, non ignorent; Parochis & Concionatoribus iniungimus, vt in ſermonibus, quos habebunt ad populum, tum Diuinam illa-

rum vim eidem exponant, earumque desiderium in illo accendant: tum dispositionem, quæ in omnibus vniuersim requiritur, explicent; tum demum opera, quæ singillatim præscripta fuerint, recenseant & declarent.

Specialiter verò, cùm propter vrgentem aliquam Christiani populi necessitatem Iubileum, seu Indulgentiam plenariam ad formam Iubilei, à Summo Pontifice manare contigerit; ad Ecclesiam Cathedralem in Ciuitate, seu Parochialem in locis Diœcesum, prçcedenti die Dominico conuocetur populus, & ad eum inter Missarum solemnia concio habeatur, in qua eius Iubilei ratio explicetur; excitenturque fideles ad ea ritè prçstanda, quæ Summus Pontifex ab ijs requirit; vt & ipsi bonis spiritualibus repleantur, & Ecclesia optatum beneficium feliciter consequatur.

Nulli verò Ecclesiæ cuiuscumque, etiam exemptç, Rectori, nulli quoque Regularium aut Laicorum Confraternitati, cuiusuis priuilegij prçtextu, Indulgentias, ipsis quouis modo concessas, vel in suis Ecclesijs promulgare, vel earum summam imprimi facere, liceat absque nostra licentia. Qui, viris doctis & pijs ad hoc adhibitis, illas antea recognoscamus; &, si verç sint, & diligenter transumptç fuerint, tamquam legitimas approbemus, & populo opportunè publicandas decernamus.



De

De Vita & Honestate Clericorum.

CAPVT XXV.

QVicumque in sortem Domini adscripti sunt, sciant, se, non ad otium aut sæculi voluptates & opera carnis vocatos esse; sed ad dandam scientiam salutis plebi eius, ad cooperandum eidem Domino in altissimo ministerio Verbi & Sacramentorum, ad illuminationem & sanctificationem fidelium, & consummationem Sanctorum. Eos proinde omnes hortamur & obsecramus per Viscera Misericordiæ Dei nostri, eisque etiam mandamus, vt, vocationis suæ suęque conditionis & officij memores, vitam moresque suos ita ad Christi & Sanctorum exempla componant, vt habitu, cultu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus factis & actionibus nil, nisi graue, moderatum & religionis plenum, præseferentes, ædificent cunctos, tàm Fidei scientia, quàm operum disciplina: internoscanturque se Deo seruire, non Mundo. Fugiantque in primis mulierum consortia: & præsertim illarum, de quibus aliqua possit haberi suspicio.

Cùm arma Clericorum sint orationes & lacrymæ, quibus hostes, tàm visibiles quàm inuisibiles, superant; arma sæcularia cuiusuis generis gestare non audeant: à venatione, præsertim clamorosa, & in locis prohibitis, abstineant: forensia insuper iudicia, subselliorum contentiones & strepitus declinent: sicque negocia sæcula-

ria

ria fugiant, vt ne cogitent quidem de Mundo. Medicinam similiter ne exerceant. Fugiant familiaritates, consuetudines & comessationes cum laicis; omniaque alia, quæ Sacerdotalis gradus dignitatem & authoritatem in vilipendium adducere aut imminuere possint.

In vijs & plateis non otientur aut vagentur.

Tonsuram Clericalem, quæ est militiæ spiritualis insigne, abrasis capillis, conspicuam continuò gerant, eius magnitudinis, quam gradus & ordo, in quo fuerint, postulat.

Non licet Clericis, tempus, quod in sacras lectiones aliasque sanctas exercitationes debent impendere, & bona, quæ in vsus pauperum & Ecclesiarum sunt erogan-da, chartarum & taxillorum, alijsque illicitis ludis absumere, seque periculo aliorum criminum, quæ à ludo exoriri solent, exponere. Propterea, si quis illorum publicè aliquo prædictorum ludo lusisse constiterit, pecuniarijs pœnis, necnon carceris & suspensionis, alijsque pro delicti & personarum qualitate iudicio nostro imponendis, subiacebit.

Monemus etiam, vt absint ab ijs locis, in quibus supradictorum ludorum genera exercentur; euitentque eos, quos nouerint huiusmodi ludis miserabiliter delectari.

Habeant verò apud se, & assiduè manibus peruoluant ac perlegant, sacros libros, Testamentum vetus & nouum, Catechismum Romanum, Ius Pontificium, sacrum Tridentinum Concilium, has Nostras Constitutiones, aliosque asceticos & morales.

Pręter lectionem & Psalmodiam, quæ propria Cleri-

corum

orum est, & quam, siue in Choro siue extra Chorum, pro gradu quisque suo, vel officio & beneficio, quo honestatur, exercere debet, aliasque vocales preces, quas propria cuique deuotio suggerit; sanctę meditationis, eiusque orationis, quę mente ac spiritu fit, studium amplectantur. Nihil enim ęquè, ac pia consideratio, mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat.

Diebus itaque singulis horam certam surripiant, in qua suauissima Diuinarũ rerum contemplatione delectentur. Certoque præterea anni tempore per dies aliquot, à rebus alijs sequestrati, exerceant animæ suæ in otio sancto negotium; toti sacrorum librorum lectioni, & Diuinorum Mysteriorum meditationi castissimo animi sensu iugiter incumbentes.

Talia sint eorum vestimenta, vt nihil in illis possit notari nouitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil, quod pertineat ad superbiam & vanamgloriam, ne pomparum sęculi sectatores appareant.

Quicumque redditus ecclesiasticos possident, meminerint, res Ecclesiæ nihil esse aliud, quàm vota fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum; earumque propterea ministros se esse, non dominos, vt, quod illis superest, in pauperum necessitatibus erogent.

Clericalem habitum Clerici, qui præsertim in sacris sunt constituti, ne deserant. Per habitus enim dimissionem à Clericis obscurari dicitur decus Ecclesiæ, Ordinis celsitudo deprimi, Christus à suis militibus deseri. Certè, dum Clericum oculus à laico respiciens non discernit, fit ille fidelibus in scandalum & contemptum.

Multo

Multo minus ſcenicam cuiuſuis generis actionem quacumque ex parte perſonaliter repræſentare audeant, præſertim in ſacris conſtituti: ſecus, ſuſpenſionem ipſo facto incurrant.

De Officio Parochi.

CAPVT XXVI.

CVm Parochi, proximi & immediati animarũ Paſtores ſint ſub Epiſcopo, & ab eorum cura & regimine illarum ſalus magna ex parte dependeat; ſintque præterea veluti oculi & manus Epiſcopi, per quos ille neceſſitates ouium ſuarum perſpectas habet, & per quas ſuę Paſtoralis prouidentiæ officia exequitur: meritò ad illos ſolicitudo noſtra conuertitur, eoſque muneris ſui ſeriò admonendos ſuſcipimus: quia, ſi ipſi benè valebunt, & ſtrenuè officij ſui partes impleuerint; noſtra etiam ſtudia & labores, quos pro laicorum ac Clericorum inferiorum ſalute impendimus, (Deo, qui ſupremus omnium Paſtor eſt, benedicente,) inanes & vacui non redibunt.

Illos igitur per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hortari cogimur, vt aſſiduè cogitent, ſe eſſe Eccleſiarum ſuarum Sponſos ſub Chriſto, qui eas ſibi acquiſiuit ſanguine ſuo: à quibus illę Diuino eiuſdem Chriſti Spiritu imbui & foueri, iure ſuo poſtulant; clamantes, vt in ſingulis fidelibus Chriſtum, & ſingulos Chriſto, pariant, alant, & ad perfectum perducant. Adeoque, ſe in ſtatu perfectionis, adultæ iam & exercendæ, poſitos, non ſolum

niti

niti debere, vt ſancti ſint; ſed vt ſua cura & miniſterio, & præſertim exemplo, ſanctæ ſint Eccleſiæ, quas regunt, (ſicut & Chriſtus Sanctus eſt,) non habentes maculam, neque rugam: & eiuſdem ſupremi Paſtoris exemplo parati eſſe, pro ouium ſuarum ſalute animas ponere.

Has itaque Conſtitutiones familiares habeant, & aſſiduè perlegant; ſciantque, præſcripta capite præcedenti de Vita & Honeſtate Clericorum ad ipſos potiſſimum pertinere, qui ſunt capita Eccleſiarum. Quæ autem de Prædicatione verbi Dei, de Sacramentorum & Sacramentalium adminiſtratione, de Eccleſiarum cuſtodia & ſimilibus à Nobis ſancita, & ad illos directa ſunt, quæque de Reſidentia & alijs materijs infra ſtatuemus, exactè & inuiolabiliter obſeruare curent.

Totis viribus incumbant, vt de ſtatu & neceſſitatibus pauperum, viduarum, orphanorum & aliarum miſerabilium perſonarum, in eorum Parœcijs degentium, certiores fiant, & eorum calamitati & egeſtati ſuccurrant, alioſque ſuo exemplo & hortatu ad ſuccurrendum impellant.

Ij, in quorum Parœcia carceres ſunt, in illis detentos frequenter inuiſent, & ſpiritualibus ac corporalibus ſubſidijs opitulentur.

Infirmis, tàm in domibus proprijs, quàm in Hoſpitali iacentibus, ſedulò aſſiſtant, eoſque non Sacramentis ſolùm purgare & reficere teneantur, ſed & ad vltimum vitæ ſpiritum per animę commendationem ſubuenire; ad patientiam, ad intimũ dolorem de peccatis commiſſis, ad fiduciam in Diuina Miſericordia reponendam, & ad cæleſtis Patriæ deſiderium concipiendum hortantes. Caueant

tamen, ne laborantia illorum capita, nimium crebra aut elata voce fatigent. Atque hanc curam, non solùm cum ijs, qui degunt intra męnia; sed etiam cum ijs, qui loca campestria & syluas inhabitant, ad se pertinere meminerint.

Requirant diligenter, an aliquis in sua Parochia concubinam alat, vel vsuras exerceat; an sint aliqui blasphęmi, adulteri, lænones, morum corruptores, rerum Ecclesiasticarum occupatores, Coniuges sine decreto Iudicis separatim viuentes: quos aliosq; similes, si ipsi ad eos corrigendos se impares existimauerint, ad Nos seu Vicarium nostrum deferant, vt qua ratione his malis occurrendum sit, prouidè decernamus.

Discordias & contentiones in suis subditis tàm domesticas, quàm ciuiles, diu regnare non patiantur; sed statim illos componere curent; adhibentes, si opus fuerit, grauium personarum & Deum timentium operam. Multò minus inter se ipsi contendant; sed pacificè viuant & fraternè se diligant; &, si qua ratione officij aut iurisdictionis controuersia oriatur, amicabiliter & modestè componant. Quòd si qui alios altercari viderint, tamquam compositores amicè intercedant; neutrius partes tuendas recipientes, sed vnicè illos ad pacem inducere laborantes.

Vltra libros pro describendis Baptizatis, Confirmatis & Coniugatis, alterum habeant, in quo notentur Defuncti, & alterum de Statu animarum, iuxtà præscriptum Ritualis Romani. Et hos omnes, vnà cum Scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, in armario sub claue custodiant; eorumque transumptum singulis annis coram Nobis

exhi-

exhibeant. Quòd si aliquis istorum librorum apud alios reperiatur, infra mensem recuperetur.

De Capitulo & Canonicis, Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum.

CAPVT XXVII.

Canonici, ceu Canones & Regulæ benè viuendi fidelibus omnibus, maximè verò Ecclesiasticis, esse debent; &, quanto ampliori honoris gradu cæteris antecellunt, tanto maiori cura & diligentia munus suum obire. Quapropter illos omnes, præsertim huius Cathedralis Ecclesiæ Capitulares, hortamur, vt Christianis & Ecclesiasticis moribus ornari studeant, vt in virtutum stadio non tantùm ipsi currant; sed etiam alios, & præsertim inferiores Clericos, post se in odorem vnguentorum suorum trahant. Dignosque successores se præbeant maiorum suorum, qui Beati Petri Damiani æuo floruerunt: vt, sicuti Sanctus iste Præsul Canonicorum suorum iugem orationem, abstinentiam, & vniuersim sanctos ac laudabiles mores, ad ædificationem scribere lætabatur; ità Nos, qui illi (impares licèt meritis) in Episcopatu successimus, de pari nostrorum sanctitate & virtutum fulgore gaudere & gratulari debeamus.

S. Petrus Damian. opusc. 34. Velitrens. Ecclesi. Canonicorū. Emendatio & profectus:

Cumque etiam eorum denominatio societatis amorem importet (dicuntur enim κοινωνικοι, quasi caritatis communione deuincti) Pacem cum primis inter se mutuo foueant, itaut sit omnium illorum quasi cor vnum & anima vna. Nullæ sint inter ipsos contentiones & iur-

 gia,

gia, nullæ rixæ: &, si aliqua differentia exoriatur, amicabiliter componant, seu absque strepitu ad iudiciale forum deducant, & placidè Superiorum dicto acquiescant: Superioribus ipsis, (qui vnitatis ac pacis vinculum sunt, & veluti petra angularis,) præsertim verò Vicario generali, honorem & reuerentiam debitam exhibentes. Quòd si, horum obliti, inter se rixati fuerint, & verbis contumeliosis ac iniurijs sese mutuo affecerint, vel aperta odia cum aliorum scandalo retinuerint; etiam prohibito ad sacrum Altare accessu, perque fructuum subtractionem mulctasque pecuniarias, necnon etiam per detentionem in carceribus, iuxta scandali qualitatem eos cohibere & vrgere non cessabimus.

Cum eorum præcipuum munus sit, Diuinas laudes in Choro canere, curet vnusquisque Gregoriani cantus modulationes addiscere, atque ad omnes Canonicales & Ecclesiasticas functiones in Ecclesia obeundas aptum se reddere; quæque de Horarum Canonicarum recitatione præscribemus, perfectè adimplere.

Specialia quoque officia ordinis sui, seu ad quæ fuerint electi, quisque quam diligenter adimpleat.

Constitutiones Capitulares aliàs editas omni diligentia obseruare procurent.

Designatis diebus & horis ad Capituli Congregationem in Sacristia conueniant omnes, atque intersint. Occurrentes materias, à singulis per ordinem propositas, discutiant & terminent: & per ordinem sententiam dicant. Ecclesiæ commodum & dignitatem, ac religiosum honestumque rerum Diuinarum cultum procurent, nullis affectibus indulgentes. Postquam mentem

tem suam quis declarauerit, maioris partis opinioni (exceptis casibus, in quibus de iure singulorum consensus requiritur) acquiescat, nec in sui animi sensu ita obstinatè persistat, vt non aliter decernendum esse contendat.

Tàm Camerarij, Fabricerij & Exactores, quàm alij Administratores bonorum Capituli, communicent cæteris negotia, quæ sint alicuius momenti, ad ipsam œconomiam spectantia. Referant Villici super eorum ministeria, illisque absentibus legantur eorum literæ. Audiantur Procuratores super statu litium & causarum. Ratiocinator, seu ad id deputatus exhibeat folium dati & accepti, necnon notulam pecuniarum exigendarum, ærisq; alieni persoluendi; quæ omnia, Canonicis audientibus, à Secretario legantur, vt omnes sint informati, ac inuigilent bonorum administrationi, celeri creditorum exactioni, ac debitorum suis temporibus solutioni.

Negotia maioris momenti non, nisi à Capitulo, & per secreta suffragia deliberentur, nec alicui ex Canonicis liceat aliquid, quod interesse Capituli concernat, in scriptis attestare, sub pœna nullitatis, alijsque grauioribus arbitrio nostro imponendis.

Acta singulorum Capitulorum diligenter per Secretarium describantur in libro ad hoc designato, & in Archiuium singulis annis reponantur.

Electiones Officialium quorumcumque fiant semper per secretum scrutinium in Aula Capitulari, & non nisi ad annum: nec prorogari possint, nisi ob legitimam caussam, & per vota secreta. Administratores verò bonorum, reddituum seu pecuniarum Ecclesiæ, quouis nomine

mine appellentur, post annum confirmari non possint, nisi prius exhibita ratione dati & accepti, & non vltra triennium.

Porrò nemini Canonicorum aut Beneficiatorum liceat, officium, ad quod capitulariter electi fuerint, recusare, aut illius exercitium differre; præterquam ob legitimum impedimentum, ab eodem Capitulo per vota secreta probandum, sub pœna priuationis omnium fructuum, distributionum & emolumentorum quorumcumque eorum Canonicatus & Præbendæ ac Beneficij respectiuè per tres menses, quibus eo ipso priuati censeantur; illaque accrescant ijs, qui in eorum locum & officium subrogati fuerint, quocumque recursu & appellatione postpositis.

Camerarij, Fabricerij alijque Administratores debeant frequenter facere computa eorum œconomiæ, & in fine cuiuslibet anni rationem reddere generalem Syndicis ad id deputatis, totique Capitulo; quam si non reddiderint per totum mensem Ianuarij anni sequentis, tàm Camerarij, Fabricerij & Administratores supradicti, quàm Syndici, si non institerint, & negligentes fuerint in reuisione computorum, amittant distributiones duorum mensium & vlterius, donec adimpleuerint: ac distributiones prædictæ cedant eo ipso in vtilitatem Sacristiæ; teneanturque Sacristæ sub pœna soluendi de proprio, agere coram Vicario pro solutione pœnæ prædictæ. Quòd si noui Camerarij menstruas rationes non retinuerint, teneantur insolidum refundere eidem Sacristiæ tantundem de proprio. Atque hæc obligatio omnium duret, quousque rationes integræ reddantur: nec intelligantur,

red-

redditæ, nisi fuerint producti libri dati & accepti, ac residuorum, nominumque debitorum, & exhibita computa generalia, eaque iurata ac solidata, persolutumque residuum, cum liberatione à pleno Capitulo obtenta. Administratores quoque præteritorum annorum, qui hactenus liberationem huiusmodi consecuti non fuerint, teneantur, sub eisdem pœnis modo & forma prædictis, producere intra terminum duorum mensium proximorum omnia sua computa, eaque à Syndicis solidata & à Capitulo approbata reportare.

Si de rebus ad aliquem Canonicorum spectantibus sermo habeatur, is, de cuius negotio tractatur, discedat. quod tunc etiam seruetur, quando proposita negotia ad Canonici consanguineos in primo vel secundo gradu pertineant.

Canonicus Theologus, ne muneri suo deficiat, statutis diebus post Vesperas in Sacristia morales materias exponat.

Pœnitentiarius similiter festiuis diebus, ac etiam feriatis, si opus fuerit, in Confessionario se exponat, ac sacras confessiones excipiat.



De

De Discussione Casuum Conscientiæ à Confessarijs & Clericis hebdomadatim habenda.

CAPVT XXVIII.

CVm ij, qui Confessionibus audiendis incumbunt, vel ad hoc sacrum munus per clericalis status susceptionem destinantur, doctrinæ moralis peritia ad rectum illius vsum & exercitium summopere indigeant: Sacræ Visitationis Apostolicæ decretis inhærendo, præcipimus, vt in Cathedrali & Collegiatis Ecclesijs, & omnibus terris aut locis, in quibus plures resident Sacerdotes, tàm Confessarij omnes, siue sæculares siue regulares, quàm alij Sacerdotes & Clerici, saltem in sacris constituti, semel in hebdomada, die ac loco à Vicarijs prescribendo, conueniant; ibique tres saltem casus proponantur, discutiantur & resoluantur: proponente Vicario, vel alio ab eo deputato. Et, vt locus priuato vniuscuiusq; studio præbeatur, casus in antecedenti Congregatione propositi, in sequenti discutiantur & resoluantur. Qui autem interuenire neglexerit, aut legitimo impedimento detentus excusationem non præmiserit, mulctam in præfato decreto statutam incurrat, quæ eo ipso locis pijs applicari debeat.



De

De Diuinis Officijs.

CAPVT XXIX.

QVanta deuotione & reuerentia Diuinæ laudes persolui debeant, & ratio ipsa naturalis vtcumque assequitur, & sacræ literæ nobis apertum faciunt; dum Cælestis Aulæ Principes & Seniores, aureo diademate coronatos, ante thronum Summi Regis procidentes,& coronas mittentes, hæc officia præstare referunt.

Quicumque ergò ad Diuini Officij recitationem tenentur, omni animi pietate & diligenti attentione tam dignum munus adimpleant. Qui autem Choro interesse debent, statutis horis ad signum campanæ conueniant; talari veste, ac superpelliceo mundo, & vnanimes vnoque ore alternatim psallentes, supremam Diuini Numinis Maiestatem laudare & benedicere studeant.

Ne tardè veniant, neue indè ante finem discedant, etiam redituri, absque causa rationabili.

Quando genua flecti, stare, aut sedere iubentur, singuli pariter flectant, stent, sedeant. quando caput inclinare aut aperire, inclinent vniformiter atque aperiant.

Caueant, ne nimium festinanter, ne verbis intercisis aut mutilatis Diuinas laudes pronuncient; sed debitam pausam in medio versiculi faciant, & verba voce clara, distincta ac intelligibili proferant. Nec labijs tantùm & lingua; sed potissimum mente & corde, Domino Deo psallendum esse recogitent.

Colloquia, risus, nutus inter se à tam sancto mini-

sterio longè abesse debere sciant: prophanas quoque occupationes Diuinis laudibus intermiscere, piaculum putent.

In omni Ecclesia, vbi Diuina Officia in Choro recitantur, eligantur Punctatores, vitæ ac morum probitate laudabiles, quorum munus sit, eorum, qui Choro abfuerint, seu in hæc decreta deliquerint, defectus adnotare in libro ad hoc specialiter deputato, quem apud se diligenter custodiant. Hi in officij sui ingressu fidelitatis iuramentum præbeant; &, si quam fraudem in officio commiserint, de propria pecunia ijs, in quorum damnum illa cesserit, satisfacere teneantur,

In his, quæ ad sacrarum functionum cęremonias pertinent, cuncti, quacumque dignitate præfulgeant, Magistri Cęremoniarum directionem & monita exequantur. Euangelium, Epistola, Lectiones, Antiphonæ &c. ab ijs, à quibus debent, respectiuè canantur, præcinantur & recitentur. Quòd si cuiuspiam defectu Missæ cantatio dilata fuerit, aut notabilis deordinatio vel omissio contigerit, is amissione distributionum illius diei, alijsue grauioribus pœnis arbitrio nostro, mulctabitur.

De Residentia.

CAPVT XXX.

CVm Beneficium propter ministerium præbeatur, & hoc in absentia exerceri nequeat; tum ipsum naturalis intelligentiæ lumen, tum repetita sacrorum Canonum monita & sanctiones, personalis Beneficiario-

rum

rum in suis Ecclesijs residentiæ necessitatem, & rigorosam præcisamque obligationem, satis superque manifestam reddunt. Parochorum in primis, quibus animarum cura & solicitudo commissa est, quique de earum iactura strictam coram Deo, qui illas sanguinis sui pretio comparauit, rationem reddituri sunt.

Eapropter Parochos nostrarum Diœcesum, quos Spiritus Sanctus posuit regere gregem Christi, enixè monemus, ijsdemque rigorosè præcipimus, vt apud suas Ecclesias sine intermissione resideant, nec sub quouis prætextu, siue tenui redditus, siue modici commodi, siue aeris insalubris, siue etiam ob infirmitates curandas, vel inimicitias fugiendas, siue denique ex quauis vrgenti & repentina causa, Nobis inconsultis, recedere ab illis præsumant. Qui autem huius decreti violator extiterit, sciat, se ex Sacri Concilij Tridentini præscripto, præter mortalis noxæ reatum, & pœnas aduersus non residentes à diuersis Summis Pontificibus indictas & innouatas; pro rata temporis, quo abfuerint, fructus suos non facere, nec illos tuta conscientia, etiam si nulla pro illis declaratio specialis secuta fuerit, retinere posse; sed fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci erogare debere. Ad aliarum etiam pœnarum executionem contra contumaces, sine remissione, deueniemus.

Quamuis verò eadem Sacra Tridentina Synodus indulgeat Parochis, vt abesse possint singulis annis per duos menses, siue interruptos siue continuos; id tamen non propria auctoritate præsumant; sed licentiam prius obtineant; ad paucos quidem dies, Foranei; ad multos verò, Generalis Vicarij, substituto relicto. Priusquam

verò recedant, ægrotis, si qui in Parœcia adsint, prouideant. Et hoc priuilegio non vtantur tempore Aduentus, aut Natalis Domini, aut Quadragesimæ, Paschæ, Pentecostes, aut in solemnitate Corporis Christi.

Quoscumque similiter in nostris Ecclesijs Canonicatus aut Præbendas, Capellas item Dignitates, Personatus, aut quæcumque alia Beneficia possidentes, quibus iure aut consuetudine personalis residentiæ onus adnexum est, cuiuscumque sint ordinis, & qualibet præeminentia potiantur, sub pœnis à iure constitutis monemus, eisque in virtute sanctæ Obedientię præcipimus, quatenus residentiam in eisdem non per substitutam personam, sed per semetipsos, exhibeant; suisque oneribus præsentes satisfaciant.

Onus autem sit Vicariorum nostrorum foraneorum, nec non etiam Parochorum viciniorum, Parochos, aliosue Clericos non residentes, Nobis protinus significare. Quòd si præstare neglexerint, seuerè à Nobis punientur.

Neue etiam Beneficia perpetua simplicia debitis obsequijs defraudentur, ijs, qui illa in nostris Diœcesibus obtinent, præcipimus, vt illis diligenter, & per semetipsos, prout illorum institutio postulat, deseruiant. Minimè verò per substitutos, nisi de nostra speciali licentia, in scriptis obtenta. Cuius decreti custodiam Parochis Ecclesiarum, in quibus dicta Beneficia sunt, committimus: qui, vtrum adiuncta ijsdem Beneficijs onera adimpleantur, inspicere, & Nobis seu Vicario nostro, vnà cum nominibus Beneficiariorum, & eorum, qui pro alijs absque nostra licentia fortassè deseruiunt, referre

ferre teneantur, vt transgressioni pro culpæ qualitate & exigentia prouidere valeamus.

De Regularibus.

CAPVT XXXI.

QVoniam verò non ex Clericis tantummodo sæcularibus, si rectè instituti sint, plurimum in Ecclesia Dei splendoris ac vtilitatis accedit; sed ex ijs potissimum, qui, Mundi illecebris & inquinamentis posthabitis, ad strictioris vitæ institutum vltrò addicuntur, ac diuinis obsequijs sub suaui Religionis iugo emancipantur; Regulares omnes enixè in Domino admonemus atque hortamur, vt ante omnia ad eius regulæ formam, quam profitentur, ita vitam instituant, moresque componant, vt conuersatione, sermone, gestibus & actionibus cunctis, fidelibus exemplo sint, verosque Christi & Institutorum suorum imitatores se præbeant.

Soli per Ciuitatem non vagentur; sed bini incedant: in Plateis aut Officinis otiosè non detineantur: & à sæcularium domorum frequentia, citra necessitatem, abstineant.

Mulieres nullam ob causam intra Monasteriorum septa ingredi patiantur: aduertantque tàm illas introducentes, quàm intrantes, excommunicationem maiorem incurrere, Summo Pontifici reseruatam.

Qui, in Claustris degentes, extra illa forsan deliquerint, à Præfectis Monasteriorum, intra tempus à Nobis præfigen-

figendum pro delicti grauitate coerceantur: & hi de animaduersionis qualitate Nos certiores efficiant.

Nouitios suos ad renunciationes, donationes & alias de rebus suis dispositiones faciendas sine Vicarij generalis nostri licentia, & vltra duos menses ante professionem, non admittant. Secus, illas declaramus irritas & nullius effectus.

Nec sacrum Viaticum, nec Vnctionem extremam ægrotis sæcularibus administrent: ne Sponsos benedicant, ne Compaternitatem ineant, ne extra Claustra Processiones agant, ne Defunctorum cadauera sine Parochi præsentia leuent ad sepulturam: ne Confessiones audiant, aut Conciones habeant, non obtenta à Vicario generali facultate.

Peregrinos Sacerdotes, qui id sibi per Episcopum licere non ostenderint, apud se Sacrum facere non permittant.

Quicumque Regularis, cuiuscumque fuerit conditionis & gradus, cum Monialibus, aut alijs intra Claustrum degentibus, vel per modicum temporis spatium colloquetur, meminerit, se, vltra peccatum mortale, pœnas excommunicationis, amissionis vocis actiuæ & passiuæ, aliasque in Decretis super his à Sacra Congregatione statutas pœnas, protinus incurrisse.

Nemini deinceps Regularium, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, cuiuscumque sint Ordinis, Congregationis, Societatis vel Instituti, in locis harum nostrarum Diœcesum nouas ad habitandum domos, vel loca quæcumque de nouo recipere, seu Monasteria, Conuentus vel Collegia fundare præsumant, absque speciali

ciali licentia Sedis Apostolicæ.

Et quia ex Apostolicis Decretis, Monasteria, Conuentus & loca regularia, in quibus non substententur duodecim Religiosi, vt in eis perfecta Instituti obseruantia vigere possit vnà cum personis in eisdem degentibus, visitationi, correctioni & omnimodæ iurisdictioni Ordinarij loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica Delegati, subdita esse declaratum fuit; ideo, cum in nostris Diœcesibus multa huiusmodi reperiantur, de quibus specialius rationem reddere tenemur: Ijsdem Decretis inhærentes, mandamus, vt in dictis Conuentibus sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus Sacerdotes sint maturæ ætatis, continuò alantur. alioquin sæcularizationis pœnæ ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum, præsertim s. m. Innocentij X. subiacebunt. *Innoc. X. constit. quæ incipit Instaurandæ.*

Superiores verò sedulò ac solerter inuigilent, vt illi regularem disciplinam, silentium, Chorum & perfectam Regulæ obseruántiam, quantum præ numeri paruitate licet, obseruent.

Singulis annis Vicario nostro generali exhibeant libros exitus & introitus, suæque administrationis rationem reddant.



De

De Heremitis.

CAPVT XXXII.

NEmini habitum heremiticum propria ſponte aſſumere ac geſtare liceat: neque cum huiuſmodi habitu in Cellis, Heremitorijs, Eccleſijs, Oratorijs alijſque locis harum noſtrarum Diœceſum, inhabitare aut permanere, antequam fuerit diligenter examinatus de vita, moribus, conuerſatione ac patria, per noſtrum Generalem Vicarium, & ab eodem in ſcriptis licentiam impetrauerit, ſub carcerationis pœna, & alijs arbitrio noſtro infligendis. Omnibus autem Archipresbyteris, alijſque locorum piorum adminiſtratoribus, mandamus, ne dictos Heremitas ſub quouis prætextu recipiant, neque locum aliquem eis aſſignent, aut quæſtum facere permittant.

Cùm autem fuerint approbati, & licentiam obtinuerint, in locis, in quibus ſe Deo vouerunt, permaneant, vitam cœlibem, integram & monaſticam ducant; Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta frequentent, hominum commercia fugiant, ac ſacrarum precum recitatione, corporis caſtigatione & alijs inſtituto ſuo dignis exercitijs meritò ſe inter conſpicua Eccleſiæ membra connumeratos eſſe demonſtrent. Parochi, in cuius Parochia degunt, monitis obediant, qui eos, cum occaſio exegerit, verbis corripere poſſit. Nec abſque illius licentia pluſquam tribus diebus ab Hoſpitiolis ſiue manſiunculis ſuis abſint; & in eas mulieres ingredi non permittant.

De Monialibus.

CAPVT XXXIII.

INter tot paſtoralis officij curas,quæ animum noſtrum anxium tenent, non parum ſumus de Sanctimonialium ſtatu ſoliciti: ne ſcilicet ſacræ Virgines, quæ ad Cæleſtis Agni nuptias deſtinatæ ſunt, relictoque mundo & parentibus, in arcta cuſtodia detinentur, expectantes aduentum Domini; vel cum Vxore Loth retro ad carnis incendia & mundi oblectamenta reſpiciant, vel cum fatuis virginibus otio torpeant; &, ornare lampades non curantes, clauſam conuiuij ianuam inuenire, atque à Diuino Sponſo neſciri, eis contingat: ſed imitantes potius Prudentes virgines, de oleo bonorum operum in tempore ſibi prouideant, vt veniente Sponſo vigilantes inueniantur, Eique cum accenſis lampadibus obuiam ire, & intrare cum Eo ad regales nuptias mereantur.

Tantis igitur noſtri muneris partibus, quantum cum Domino poſſumus, ſatisfacere cupientes, monita ex cordis intimo prodeuntia ad eas dirigimus; eaſque per caritatem D.N.Ieſu Chriſti, qui eas tantopere adamauit, adque tam ineffabilis dignitatis & dulcedinis connubia Sibi delegit, rogamus & obſecramus, vt tantæ electionis & vocationis donum pro merito æſtimantes, auertant oculos ſuos, ne videant vanitatem; claudant aures blandienti ſæculo, & diabolo mundi fallacias ſuggerenti: vnicè intentæ ad vocem Dilecti ſui,illas ad conſiderationem rerum cæleſtium, & delicias, quæ omne deſiderium

ſuperant, inuitantis: fidem, quam ſpoponderunt; vota, quæ nuncuparunt; regulam, quam ſuſceperunt; crucem, cui humeros; iugum, cui colla, ab adoleſcentia ſubdiderunt, in memoriam reuocantis; hortantiſque, iuuantiſque ad lætanter illud ferendum, vſque in proximum diem aduentus ſui: quo, erutas de carcere mortis huius, aſſeret in libertatem filiorum Dei, & in Regnum exultationis & gloriæ ſuæ.

Quoniam verò diſciplina ſtudij cæleſtis, (ager nempe ille, in quo cæleſtis huiuſce deſiderij theſaurus abſconditur, quemque venditis omnibus, quæ poſſidebant, auidiſſimè compararunt,) abſque inuiolabilis clauſuræ lege vix aut ne vix quidem cuſtodiri poteſt: Prouidè per Summos Pontifices cautum eſt, tam ne qua virgo extra, quàm ne quiſpiam extraneus intra, ſacras illarum ædes pedem efferat inferatue, ſub pœna excommunicationis ipſo iure incurrenda, Sedi Apoſtolicæ reſeruata. Exceptis caſibus neceſſarijs, & cum Superiorum licentia in ſcriptis obtenta. Quod decretum in primis cum omni rigore ſeruari præcipimus, adiecta Præfectæ, quæ violationem permiſerit, depulſione ab officio, & alijs pœnis noſtro arbitrio infligendis.

Deinde, vt Confeſſarij, Medici, Chirurghi, Barbitonſores, Cementarij, Lignarij, & reliqui Fabri, Muliones, Baiuli, & id genus vectores, quibus clauſtra Monialium ingredi, neceſſitate cogente, aliquando permittimus, caueant, ne data facultate abutantur; ſed illam tempore tantùm neceſſario vſurpent. Diurnus ſit eorum ingreſſus. & ſenioribus Monialium aſſociantibus, recto tramite ad locum neceſſarium pergant. Cellulas verò

Mo-

Monialium ne ingrediantur, nisi postquam illæ, expectantibus ipsis circa vestibulum, signo campanulæ monitæ fuerint. Opere autem expleto, quamprimum egrediantur, nec per Monasterium aut per Monialium cellas diuagentur. Qui, seu quæ contrafecerint, aut concessis licentijs abuti præsumpserint, excommunicationem prædictam incurrant.

Nemo similiter Sanctimoniales alloqui, nemo Monasteriorum Collocutoria ingredi, præsumat absque nostra licentia in scriptis obtenta; sed neque Moniales eò se conferant, nisi ab Abbatissa cum benedictione dimittantur, adsintque sermonibus audiendis Præposita.

Monasterij ianuæ non aperiantur pro colloquijs, aut ad introducenda ea, quæ per rotas introduci possunt; sed tantùm ex causa necessaria, semper Ianitricibus assistentibus: nec ante ortum Solis, vel post eius occasum.

Fenestellis in Ecclesia destinatis, tàm pro audiendis confessionibus, quàm pro ministranda Sanctissima Eucharistia, Moniales ne ad sermones conferendos abutantur.

Pueruli vel Puellæ cuiusuis ætatis in Monasterij clausuram à Monialibus, & cæteris intra eam degentibus, non introducantur.

Presbyteri, etiam Regulares, Missas & Diuina Officia in Ecclesia Monialium cum nostra licentia celebrantes, exacto ministerio discedant, nec se ad Sanctimonialium collocutiones vllo modo diuertant. Idem omnino ij seruent, qui ad Missas & Diuinas Preces audiendas illuc conuenerint.

Ædificia Monasterijs proxima non ita attollantur, vt

ex illis intra clausuram prospici queat, Moniales'ue per eam liberè deambulare non valeant. Neque à suspectis mulieribus inhabitentur.

Prope Monasteria non fiant tabernæ, non spectacula, cantus, saltus, ludi, aut prophanæ aliæ inanesque actiones, quæ Moniales possint à sacris officijs diuertere, aut eorum animos offendere. Qui hæc ausi fuerint, viri manibus post terga ligatis tortorij funis triplicem ictum sustineant: mulieres in exilium pellantur, domos ad hæc locantes, pecuniarias pœnas luant.

Communem vitam, quæ est Paupertatis custodia, & suaue conuiuentium vinculum, aptissimumque perfectionis acquirendæ subsidium, in Monasteria nostræ curæ subiecta introducere & stabilire hactenus totis viribus conati sumus, omnique studio laborauimus: iamque, labores nostros Deo benedicente, aliqua susceperunt; aliqua, vbi adhuc perfectè non viget, suscipere parata sunt. Hortamur igitur omnes & singulas, vt eam viuendi rationem, quæ nascenti Ecclesiæ communis fuit, vt omnia haberent communia, ad cuius exemplum illarum religio & Conuentus institutus est, pro amore eius, qui se pro illis pauperem fecit, quique illis cælestes thesauros ab æterno præparauit, promptè & ex animo amplectantur. Strictè illis præcipientes, vt omnem proprietatis tabem à se reijciant. Nullique aliquod etiam minimum liceat sibi addicere, neque bona mobilia aut immobilia, cuiuscumque qualitatis & quantitatis fuerint, quouis modo, causa & occasione acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus, retinere vel possidere. Et si quid legatum, relictum, datum, donatumue fuerit, labore

bore seu industria factum & acquisitum, Superioribus tradatur, & Monasterio incorporetur: sub pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ, iuxta Regulam & Constitutiones illarum.

Quod, vt exactiùs obseruetur, præcipua Abbatissæ, tamquam communis omnium Matris, seu diligentis Patris familias, cura sit, ter singulis annis vnà cum Discretis diligenter perquirere singularum Monialium cellas & supellectilem: &, si quæ aliquid sine licentia possidere comperta fuerit, ac præsertim religiosæ paupertati aut modestiæ dissentaneum, biennio voce actiua & passiua priuetur.

In Refectorio tantùm communi reficiantur: silentium seruantes, & moralem lectionem attentè audientes. communi pariter loco laborerium exerceant.

Non audeant Moniales accipere aliquid de rebus communibus absque licentia, nec sine illa Officiales tribuere. Interdictumque omnibus sit, dona, munera, pecuniam aut quoduis aliud, siue ex bonis Monasterij, siue ex alijs in vsum proprium assignatis, siue intra siue extra Monasterium, donare, dispensare aut elargiri, etiam intuitu caritatis, pietatis aut eleemosynæ; vel etiam ad ægrotos mittere, nisi de licentia Præfectæ. Quæ à Monialium Agnatis recipi contigerit, ea statim eidem Abbatissæ deferantur, suoque arbitratu distribuantur.

Propinarum seu munerum largitionem Monialibus tàm in ingressu, seu in habitus regularis susceptione, quàm in Professione emittenda, veloque suscipiendo, tamquam abusum omninò abrogamus. prohibemusque sub pœnis etiam censurarum, ne ijsdem alijsue diebus

nimis

nimis lauta aut luculenta conuiuia fiant. Eleemosynæ verò, quæ diuturna consuetudine, Sacristijs vel Infirmarijs, occasione ingressus vel Professionis dari consueuerunt, non prohibentur.

Religioso habitu,non ad elegantiam & inanem ostentationem; sed pro necessario tegumento, & discerniculo, ad Regulæ præscriptum vniformiter composito, omnes vtantur. Et postquam illum assumpserint, numquam deponant. Virorum indumenta, etiam recreationis causa, non induant.

Nulla ad Professionem in posterum recipiatur, nisi promiserit prælaudatum communis vitæ institutum seruare, & iuxtà illud perpetuò viuere.

Plures verò in vnoquoque Monasterio non recipiantur, quam pro modo & facultate loci, & consuetis eleemosynis substentari commodè queunt. Propterea certus Monialium numerus constituatur & conseruetur. neque supranumerariæ recipiantur, nisi cum duplici dote.

Dotes soluantur in ære, non in bonis stabilibus, neque in censibus. Eam, vnà cum eleemosyna consueta, parentes vel alij, ad quos spectat, antequam ad actualem receptionis actum deueniatur, promptam & paratam habeant. Quæ apud Monialium consanguineos nullatenus relinquatur; sed actu realiter & cum effectu deponatur in Sacro Monte Pietatis, vel penes personam, fide & facultatibus idoneam;quæ,professione secuta,illam ad omne mandatum Monialium reddere spondeat; seque, nulla seruata forma & figura iudicij, nullo Iudicis decreto secuto, vnica tantùm præcedente intimatione, realiter & personaliter grauari posse, consentiat, sub grauibus pœnis

nis contrauenientibus arbitrio nostro irrogandis.

Pro Ecclesijs ornandis non liceat Monialibus quidquam commodato accipere; sed proprijs ornamentis contentæ sint. Earum similiter supellectilia commodare sit prohibitum.

Dissidia, & dissidiorum causæ, inter Moniales è medio omninò tollantur, vt veræ Sorores in Domino nomine & factis appareant, & incorrupta inter eas pax, veraque concordia, quam pro inæstimabili hereditate Christus Deus noster nobis reliquit, inuiolabiliter seruetur.

In Administratores Monasterij eligantur personæ idoneæ, prouectæ ætatis, probatæque vitæ, ac boni testimonij; qui curent huiusmodi munus, ea, qua decet, caritate ac diligentia exercere. Instrumentis & contractibus omnibus Monasterij fideliter interueniant, inque eius vtilitatem pro viribus adlaborent: egregia tam piæ ac religiosæ operæ præmia à Christo Domino, sacrarum Virginum Sponso, haud dubiè relaturi.

Rationes dati & accepti, singulis tribus mensibus summariè ab Abbatissa & alijs, res Conuentuales administrantibus, referantur: quotannis verò strictiùs & exactiùs Nobis, seu personis à Nobis deputatis.

Quæ circa rectam administrationem locorum piorum, eorumque bonorum alienationem, præcipuè circa emptiones & venditiones, ac pecunias reinuestiendas, inferiùs stabilita sunt, omninò seruentur. Quòd si secus aliquid fieri contigerit, irritum declaramus, ac etiam pœnis temeritatem coercebimus.

Quæcumq; similiter in Constitutionibus iuxtà Regulæ præscriptum, ac per sacros Canones & Apostolicas Con-

stitu-

ſtitutiones diſponuntur, adamuſsim & inuiolabiliter ſeruari mandamus.

Et, quia Puellas etiam ſæculares, quæ in Monaſterio inter Deo dicatas Virgines educantur, non animo ſolum, ſed etiam exterius, decet eam modeſtiam præſeferre, quã loci conditio exigit; curet omninò Abbatiſſa, ut Puellæ prædictæ, in educationem ſuſceptæ, haud ſumptuoſis vtantur veſtibus; ſed in quibus morum honeſtas & pudicitiæ candor præfulgeat: ne margaritas aurumue ferant, multoque minus capillos componant. Quæ non paruerit, Monaſterio egredi cogatur; Abbatiſſa verò aut Magiſtra, ſi alicui hæc indulſerit, grauiter punietur.

Loco à Monialium Dormitorio ſepoſito dormiant, neque cum illis verſentur, & præcipuè ne alicuius conſuetudine, præterquam Magiſtræ, vtantur. Cùm ad Parlatorium accedunt, ſemper Magiſtram aut aliquam ex Diſcretis ſecum habeant. nec frequenter ad illud accedant: ſed tantùm, cùm parentes, aut fratres, aut ſorores illas vocari iubent.

Pro illarum alimentis certa Monaſterio pecunia quolibet ſemeſtri anticipatè ſoluatur: alias remittantur ad ſuos, nec permittatur, vt illis victus à parentibus in diem ſubminiſtetur.

Si qua educanda Matrimonium contrahere decreuerit, antequam Sponſalia contrahat, & Denunciationes fiant, extra Monaſterij ſepta mittatur: niſi Nobis aliter viſum fuerit. Interim tamen, donec permanſerit in Monaſterio, præcipimus, ne ad crates Eccleſiæ, aut Collocutorij ſeu ad Ianuam Monaſterij colloqui audeat cum futuro Sponſo, vel cum alio, ſeu alia perſona eius

nomi-

nomine ad Monasterium veniente: Sub pœna Præpositæ priuationis Veli, ipso facto subeunda; Puellæ verò excommunicationis.

De Tertiarijs.

CAPVT XXXIV.

Tertiarij, & Tertiariæ, veluti quædam Religiosorum appendix, interque hos & sæculares homines medij, vberem, & in varia diffusum germina, Ecclesiæ spiritum & sanctitatem ostendunt. Et quamdiu à suo instituto & legibus non recedunt, magno quoque splendori eidē esse possunt, & plurimi sanè fuerunt. Inuigilent propterea ij, ad quos spectat, vt qui illorum instructioni & gubernio incumbunt, sint personæ religiosæ, maturæ ætatis, moribus & doctrina conspicui; quorum disciplina & exhortationibus proficere, & in via virtutum rectè & constanter incedere & progredi queant. Nec illis permittant vanitatem in vestibus, crinibus & alijs similibus: multò minus fœminis virorū colloquia & consortia. Ijdem verò à nimia cū illis familiaritate abstineant, ad earū domos minimè accedant, nec cum illis extra Ecclesiam, & destinata sacris adhortationibus & instructionibus tempora, cum illis versentur.

Tertiariæ ad habitum non admittantur, nec recipiantur, nisi sint bonæ vitæ ac bonis moribus præditæ, atque in ætate saltem quadraginta annorum constitutæ: quæ de proprio habeant, vnde sufficienter viuere possint; non cum alijs viris, quàm cum consanguineis vel affinibus in

primo tantum gradu ſibi coniunctis, cohabitent, & à Nobis, ſiue à Vicario Generali noſtro, licentia prius impetrata: Qui non prius eam concedat, quàm de prædictis, præuio examine diligenti, ſibi conſtiterit. Sed in habitu deferendo omninò à velo ſupra caput, à pectorali & à patientia abſtineant: aliàs ab eodem Vicario ad ea dimittenda, per cenſuras etiam Eccleſiaſticas, compellantur, iuxta Decretum Sac. Congregationis Epiſcoporum & Regular. ſub die 20. Decembris 1616.

Tertiarij item vel Tertiariæ prædictæ, ſi deceſſerint, nulla ſibi electa ſepultura, in Eccleſia parochiali ſepeliantur. niſi habeant conditiones præſcriptas in Bulla fel. rec. Leonis X. videlicet, vt viri collegialiter aut clauſtraliter viuant; mulieres verò, virginalem ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem, ſub expreſſo voto & Tertiariorum habitu, vitam ducant; iuxta aliàs reſoluta per eamdem Sac. Congreg. in Nepeſina 11. Decemb. 1615.

De Confraternitatibus Laicorum.

CAPVT XXXV.

AD Eccleſiæ ornatum, quæ varietate iucundatur, illi etiam fideles pertinent; qui, etſi Eccleſiaſticæ militiæ adſcripti non ſint, & in ſæculo verſentur, addicti etiam coniugio; Chriſtiano ac religioſo viuendi inſtituto, ſeu Sodalitati adſcribuntur; in eaque, ad ſuam & aliorum vtilitatem plura charitatis & pietatis opera exercent. Quapropter noſtri muneris eſt ſimiliter prouidere, ne fideles huiuſmodi à pia, ritèque inſti-

instituta viuendi ratione discedentes, ac Sodalitatis suæ fines transgredientes, & sibi perniciem afferant, & cæteris scandalum præbeant.

Omnes igitur in huiusmodi Sodalitatibus adscriptos in Domino admonemus, vt Regulas, Statuta & Ordinationes in earum fundatione præscriptas, & à Nobis, seu Antecessoribus nostris approbatas, diligenter obseruent, atque ab alijs obseruari faciant. Ad Oratoria diebus præscriptis conueniant, spiritualia exercitia & Diuinas laudes persoluant, suscepta charitatis & pietatis opera adimpleant, & Diuinis muneribus respondentes, reddant abundanter Altissimo fructus suos.

Tàm in Oratorijs præscriptis, quàm dum processionaliter simul incedunt, prophana non habeant colloquia, nugas & scurrilia non peragant, arma non deferant. conuiuia & commessationes, etiam suis ipsorum sumptibus, non faciant. Soli per Ciuitatem saccis induti non incedant, sub pœna cassationis in perpetuum à Confraternitate, seu alijs Nobis arbitrarijs, etiam afflictiuis infligendis.

In Confratrum numerum non recipiantur, qui Doctrinam Christianam ignorant; facinorosi, turpis vitæ, aut aliqua infamiæ labe notati, publici peccatores, concubinarij. Et si tales euadant, postquam adscripti fuerint, deradantur.

Officiales quotannis eligantur, omni humana ratione postposita, præsente Vicario Generali in Ciuitate, & in Diœcesi Foraneo, seu Archipresbytero loci, qui vota excipiat per secreta suffragia: Quod pariter obserue-

tur in conficiendo Bussolo, vbi fieri consueuit. Nec Officiales ipsi eligant successores, aliàs electio nulla sit. Præteriti rationẽ administrationis suæ coram Vicario Generali seu Foraneo; & in eius defectu proprio Parocho, nouis Officialibus reddant, & per sententiam registrandam in libro, vbi introitus & exitus adnotantur, absoluantur aut condemnentur. Qui verò debitor inuentus fuerit, infra duos menses soluere & omninò satisfacere teneatur, sub pœna inhabilitatis in posterum ad officia & dignitates, tàm in eadem Societate, quàm in alijs, obtinendas.

Onera ex ipsa fundatione, seu ex piorum fidelium volũtate, instituta curent, vt debita diligentia adimpleantur, quod, vt facilius fieri possit, Tabellam eorum conficiant, eamque semper conspicuo loco affixam retineant.

Bonorum Societatis fideles sint dispensatores, & qua debent, diligentia conseruent.

Quæcumque in Capitulis 39.40.41. circa rectam administrationem & conseruationem bonorum Ecclesiæ, præcipuè circa venditiones, locationes & exactiones faciendas, inferius statuta sunt, adamussim obseruent.

In alienationibus verò bonorum, solemnitates pro alienandis rebus Ecclesiæ requisitas, necessarias pariter decernimus, aliàs alienatio irrita sit & nulla.

Suppellex, confecto per publicum Notarium Inuentario, Officialibus successiuè consignetur.

Eleemosynæ à Confratribus non quærantur, absque nostri Vicarij generalis licentia.

Nouæ

Nouæ Confraternitates, neque a Clericis neq; à Regularibus instituantur, nisi, aut Summi Pontificis aut nostra præcedat auctoritas. Institutæ, nouis regulis, quæ à nobis approbatæ aut subscriptæ non fuerint, minimè vtantur.

De Hospitalibus.

CAPVT XXXVI.

QVuanta religione & pietate Hospitalitas à Christi fidelibus sit amplectenda, à Redemptore & Magistro nostro Christo discere possumus, dum non solùm opera charitatis huiusmodi tamquam sibi exhibita se habiturum protestatus est: Verum etiam ea exercentibus sæpè & Angelos & seipsum, sub peregrini vel infirmi specie, recipiendum & curandum obtulit. Quapropter, quicumque hospitales ædes custodiunt, & ægrotos seu peregrinos recipiendi seu alendi curam gerunt, seu illos ad Vrbis Hospitalia transportant; & bona ipsis credita fideliter tractent, & omnia humanitatis & christianæ pietatis officia, prompto benignoque cordis affectu pauperibus subministrent: caueantque ne ab illis, siue in Hospitalis ingressu, siue in discessu, siue alio quouis tempore, quidquam etiam minimum petant aut exigant, aut etiam vltrò oblatum recipiant. Neque cum pauperibus mendicantibus alicuius lucri pactionem ineant, vt eos in Hospitali admittant.

Maiores natu, cum pueris vel adolescentibus simul in eodem lecto iacere somnumue capere non patiantur; minus

minus autem viros cum fœminis; imò, vbi fieri poteſt, cubicula virorum ſeorſum ſeparata ſint ac remota a cubiculis fœminarum, nec ab iſtis ad illa detur acceſſus. Imò nec virum ac fœminam ſimul peregrinantes recipiant, niſi qui firmum fideq; dignum teſtimonium exhibuerint, quo legitimum inter eos matrimonium eſſe conſtet.

Infirmi in primo ingreſſu ſacramentaliter confiteantur, & ingraueſcente morbo alijs Sacramentis reficiantur.

Parochi & Deputati ſæpè ædes, domicilia & cubicula viſitent: & ſi quid correctione dignum repererint, opportunis medijs prouideant, aut Nos ſeu Vicarium noſtrum commonefaciant.

Scurræ, Circulatores, Hiſtriones, Meretrices, publici denique peccatores, à prædictis Hoſpitalibus penitus arceantur.

Nefas ſit Adminiſtratoribus, Xenodochiorum redditus in rem alienam, quam in pauperum vſum, aut illius pij loci & inſtituti vtilitatem, erogare.

Ijdem verò annis ſingulis, & quoties expedire videbitur, accepti & expenſi rationem reddere teneantur. Quæcumque etiam circa adminiſtrationem, conſeruationem & alienationem bonorum Eccleſiæ inferius ſtatuta ſunt, obſeruare.



De

De Monte Pietatis.

CAPVT XXXVII.

INter cætera Pietatis opera, quæ ſumma cum laude Domus Gymnaſia condidit,erectio huius Montis pro ſubleuandis pauperum & miſerabilium perſonarum neceſſitatibus, inſignis eſt; quam ex proprijs pecunijs laudabilis ac pijſſima fœmina Catherina Gymnaſia rec: me: Dominici Cardinalis,Sac.Collegij Decani,ac huius Eccleſiæ Epiſcopi Soror, fecit. Qui, vt non conſeruetur modò, ſed ad eorumdem pauperum commodum & vtilitatem continuum in dies incrementum ſuſcipiat,quaſcumque ordinationes & decreta, quæ pro eius recta adminiſtratione ab Anteceſſoribus noſtris Cardinalibus Pio & Lantes prouidè inſtituta & ordinata fuerunt, inuiolabiliter obſeruari mandamus.

Potiſſimùm verò cauendum ducimus, vt illius regimini & cuſtodiæ deputentur viri conſpicuæ integritatis & diligentiæ, qui, non per ſubſtitutos, ſed per ſemetipſos munus exerceant; quorum fide & induſtria bona pignori data non deperdantur: eorumque præcipua cura ſit, ſingulis menſibus pignora recognoſcere, & à puluere, tineis & humore illæſa cuſtodire.

Ijdem ante muneris ſuſceptionem, dato idoneo vadimonio, ſpondeant, fideliter ſe illud adminiſtraturos, & dati & recepti rationes coram Deputatis noſtris redditUros. &, quod ipſos debere declaratum fuerit, ſtatim ſoluturos. Quæ quidem rationes in fine anni per ſucceſ-

ſucceſſores ſuos,coram noſtro Generali Vicario, irremiſſibiliter exigantur.

Singulis menſibus Deputati coram Vicario Generali de ſtatu ipſius Montis, computata pecunia & pignoribus, referant & conſulant.

Curent, vt venditiones pignorum citra fraudem, ac maiori quo poſſunt pretio, tamquam, ſi eſſent res propriæ, ad commodum & vtilitatem Dominorum vendantur.

Non liceat Officialibus ac Miniſtris noſtris, neque ijs, qui ad Montis gubernium deputati ſunt, pignora emere, nec pro illis per ſe vel interpoſitam perſonam pretium offerre: aliàs pretij prædicti, & rei emptæ iacturam incurrant. Poterit tamen quilibet Deputatus ad ſuſtinendum pretium rei oblationem augere, nomine tamen ipſiuſmet Montis, ad effectum, vt idem pignus aliàs ſubhaſtetur.

De Decimis.

CAPVT XXXVIII.

DEcimæ fructuum, quæ Eccleſiæ & Miniſtris eius ſoluuntur, iam olim Deus ab ipſis vſque Mundi primordijs ſibi in ſupremi dominij ſui, ſuæque benignæ largitionis recognitionem offerri præcepit. Idemque in vtriuſque Teſtamenti paginis inculcauit. Quibus ſe ſacri Canones conformare, earumque ſolutionem omnibus modis vrgere ſanctum duxerunt. His igitur Nos, ac præſertim S.C. Tridentini Decreto inhærentes, omnibus iuriſ-

iurisdictioni nostræ subiectis, cuiuscumque sint conditionis & status, præcipimus, quatenus Decimas ipsas Ecclesijs & personis ecclesiasticis debitas, iuxtà mensuram & modum, à iure vel consuetudine determinatum, persoluant. Sub pœna excommunicationis, à qua nisi debita restitutione præmissa, beneficium absolutionis impetrare non possint.

Caueant verò ipsi, ne Decimas, amicis aut propinquis remittentes, Ecclesiæ eiusque Ministris, fraudi & detrimento sint. Si enim in hoc negligentes & culpabiles fuerint, certò sciant, se se Dei & nostram indignationem incursuros.

Quoniam verò humanæ auaritiæ cœcitas eò processit, vt exiguam fructuum à Deo acceptorum portionem, ipsi Deo soluendam, quia illius ministris cessura est, vel quantitate imminutam, vel substantia & qualitate corruptam & vitiatam exhibeant: non considerantes, quod Deus hac de causa Cain indignatus, ad illius munera non respexit: Parochi diebus præscriptis præfatum S. Concilij Tridentini Decretum, quod ad huius libri calcem vulgari idiomate positum est, subditis suis exponant, criminis turpitudinem & grauitatem præ oculis ponant, diuinamque animaduersionem denuncient, tum prætacto Caini exemplo vsi: tum eo, quod suis temporibus Sanctus Pater Augustinus ingerebat, dicens: *Maiores nostri ideo copijs omnibus abundabant; quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modò autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio Fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas: modò autem totum tollitur.*

O De

De Bonis Ecclesiæ locorum, & operum piorum rectè administrandis.

CAPVT XXXVIII.

QVicumque piorum operum administrationem suscipiunt, illud secum ipsis sæpè recogitent, se ad tale munus exercendum ab ipso Christo Domino vocatos & constitutos; Ideoque tamquam Dei ministri ac dispensatores fideles, bona, eorum fidei commissa, maiori qua poterunt diligentia ac vigilantia custodiant, atque ab omni iniuria defendant, vel læsa & direpta, in integrum restitui curent: & veluti diligentes Patresfamilias, non solùm ipsorum bonorum conseruationi, sed etiam continuis augmentis insistant. Meminerint, se pauperum, pupillorum, viduarum, senum, ægestate aut ægritudine laborantium, peregrinorum, imò ipsius Christi Domini in persona eorum, curam sustinere, ac propterea se in die Iudicij administrationis suæ eidem Christo Domino exactissimam rationem esse reddituros.

Hi vero, quibus administratores & custodes bonorum huiusmodi eligere & deputare contigerit; aduertant, ne ad hæc munera admittant homines lucro deditos; sed neque etiam prodigos, vel qui patrimonium dilapidauerint, neque valde inopes, vel qui etiam decocti fuerint, neque qui auram popularem aucupantur, ambiuntue honores; sed eos dumtaxat, qui pietate ac religione insignes, vita & moribus probatissimi sint, prudentia, œconomia, solertia & plurimo rerum vsu præstantes.

In

In primis, Ecclesias, Oratoria & ædificia quæcumque, vel vetustate collabentia, vel sordida ac indecora, studiosè sarciant, & in pristinam elegantiam ac munditiam restituant. Debitum cultum ne deesse patiantur. Opera pia, quæ ex instituto cuiuscumque loci exerceri debent, curent vt adimpleant, atque illius Constitutiones omninò seruent, aliaque præstent, quæ suscepti muneris ratio requirit. Eleemosynæ, quæ erogandæ sunt, videant, vt rectè & piè distribuantur: non gratiam cuiusquam, sed probitatem & inopiam tantummodo præ oculis habeant.

Superuacaneas impensas imminuant, inutiles litium controuersias tollant.

Prouideant, ne huiusmodi locorum bona à quoquam diripiantur, & si ab aliquo fuerint iniustè occupata, recuperent.

Pia legata, à defunctis Testatoribus in Ecclesiarum aut piorum locorum fauorem facta, illicò exigant, omnesq; alios debitores, nulla habita personarum ratione, ad solutionem adstringant.

Ne bonorum Ecclesiasticorum dominia in incerto aut vsurpationibus obnoxia esse contingat, illorum omnium cathastum infra annum fieri volumus, quæque de Inuentario & Archiuio conficiendo inferius statuta sunt, obseruari, quorum executioni vt Vicarius noster sedulò ac sæpè superintendat eidem mandamus, eiusdemque ac Officialium seu Administratorum cuiuscumque Ecclesiæ & loci pij, strictè super hoc conscientiam oneramus.

Pecunia ac bona mobilia, locis pijs relicta, seu ad reinuestiendum destinata, mandamus omnibus Rectoribus

ſeu Adminiſtratoribus quibuſcumque ſub grauibus pœnis, arbitrio noſtro infligendis, etiam excommunicationis, vt à die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes ædem ſacram, vel perſonam fide & facultatibus idoneam, ad effectum illa ſeu illorum pretium, quamprimum inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica, aut noſtra, deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium ſub eadem pœna, vt ſupra, deponi atque in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione atque annexione, conuerti debeat.

Nulli Eccleſiarum Rectori, aut locorum piorum Adminiſtratori, liceat cenſus emere abſque antecedenti participatione & ſcientia, ac præuia licentia Vicarij Generalis. cuius partes erunt, antequam prædictam licentiam concedat, exàctam ſumere informationem circa facultates illius, à quo cenſus venditur, ac circa valorem & libertatem fundi, ſuper quo prædictus cenſus imponitur. Aliàs, ſi inexigibilis reddatur, & prædicta licentia non interuenerit, Officialis ad reficienda damna Eccleſiæ ſeu loco pio teneatur.

Cuiuſcumque loci pij redditus, ſiue ex terris aut alijs immobilibus, ſiue ex piorum eleemoſynis, aut alias quomodolibet collectos, nefas ſit Adminiſtratoribus in rem aliam, quam in eum vſum, in quem deſtinata ſeu relicta fuerunt, erogare. Quod vt facilius obtineatur, inhibemus omnibus & ſingulis præfatis Adminiſtratoribus, ne vllam impenſam, vel minimam, præter ordinarias, faciant

ciant ſine præcedenti noſtri Vicarij Generalis licentia ſcripto conceſſa; aliàs cenſebuntur de proprio donata, & præfati loci pij vtilitati cadant.

Omnes Eccleſiarum, aliorumq;locorum piorum Adminiſtratores, Exactores, Depoſitarij, ſiue alterius appellationis miniſtri, teneantur ſingulis annis, & in fine officij, rerum à ſe communi nomine geſtarum, exactam ac diligentem reddere rationem: in Ciuitate quidem coram Vicario noſtro Generali, cum interuentu duorum eiuſdem corporis, de cuius adminiſtratione agitur, deputatorum: in Diœceſi verò cum duorum ſimilium interuentu, coram Vicario Foraneo, aliàs coram Parocho. Sententia autem ſcribatur in libro, qui nuncupatur *delle Sentenze*, de quo curam geret Officialis pro tempore; & poſtea in Archiuio vnà cum libris rationum conſeruetur.

Quicumque debitores depræhenſi fuerint, ab adminiſtratione ſuſpendantur: & aliorum etiam officiorum incapaces tandiu cenſeantur, donec debitum integrè perſoluerint, tàm in prædicto loco pio ſeu Confraternitate, quàm in alijs quibuſcumque.

Bona mobilia cuiuſcumque Eccleſiæ,ſeu Oratorij nouis Officialibus, præuio inuentario conſignentur: ex quo indubitanter appareat, an integra facta ſit conſignatio.

Quandocumque Parochialis alicuius Eccleſiæ vacatio contigerit, Vicarius noſter Generalis ſeu Foraneus, vel, eo impedito, Curatus ipſius Eccleſiæ propinquior, ſtatim ac prædictæ vacationis notitiam habuerit, ad eam ſe conferre teneatur; ibique adhibitis probis viris, Inuen-

tarium

tarium describat omnium bonorum mobilium, & scripturarum ad eam Ecclesiam pertinentium, eaque omnia penes Oeconomum constituendum, vel aliquem alium eiusdem Parochiæ, fide ac opibus idoneum, reponat & successori reseruet.

De Archiuio & Inuentario Bonorum Ecclesiæ, aliorumque Piorum locorum.

CAPVT XXXIX.

CAthedralis Ecclesiæ Capitulū & Canonici, aliarumque Ecclesiarum Præpositi, Archipresbyteri, Parochi, Rectores, Capellani, Abbatissæ, Oeconomi, Priores, & quicumq; Administratores Hospitalium, Montium Pietatis, Confraternitatum, & quorumcumq; Piorum locorum Præfecti, vbi ad librorum & scripturarum ad dicta loca spectantium custodiam non est erectum Archiuium, statim illud in congruo loco construi curent, & omni firmitate muniri. Cuius clauis penes Custodem electum, vel eum, ad quem de consuetudine pertinet, custodiatur.

Ijdem, si hactenus confectum non sit, infra quatuor menses Inuentarium fidele & authenticum, omnium & quorumcumque bonorum stabilium, cum suis finibus, confinibus, iuribus, actionibus, membris & partibus, necnon mobilium, semouentium, censuum, iurisdictionum, iurium etiam feudalium & emphiteoticorum, sacræ supellectilis, & rerum quarumcumque, ad Ecclesias, Capitula, Collegia, Capellas, Altaria, Monasteria, Hospitalia, Montes Pietatis & reliqua iam dicta loca spe-

ctan-

ctantium, accuratissimè confici.nt.

Describant etiam in eo singillatim quæcumque habuerint monimenta Testamentorum, Codicillorum, vnionum & sententiarum; Missarum insuper, Anniuersariorum, & aliorum onerum, vnà cum Prædiorum, Castrorum & personarum nominibus; adiecto tempore legati, & Notario, qui de Testamento rogatus fuerit. Decretorum quoque Visitationis, Sententiarum, Indulgentiarum, Memoriæ Consecrationis, seu Dedicationis Ecclesiæ: Librorum denique Baptismorum, Matrimoniorum & Mortuorum ac status Animarum.

Vtantur ad id duobus aut tribus consiliarijs, vel senioribus loci, ex ijs, qui possint esse magis instructi de bonis & iuribus illius Ecclesiæ seu loci Pij. Quos in Domino admonemus, eorumdemque conscientias strictè oneramus, vt quoties fuerint requisiti, operam suam in hoc libenter præstent, & notitias, quas habuerint, integrè ac fideliter exhibeant.

In fine cuiuslibet Inuentarij expressa semper addatur clausula, quod per illud nullo modo præiudicetur Ecclesiæ, vel cuicumque loco pio quo ad bona in ipso Inuentario descripta, si fortè ex inuentario generali aliàs facto, vel ex alijs particularibus, aut quibusuis Instrumentis, documentis, & probationibus constiterit, bona alia ad easdem Ecclesias & loca pia pertinere.

Inuentarij confecti, duo statim fiant exempla per eumdem Notarium, quorum alterum in sua quisque Ecclesia & pio loco ad perpetuam rei memoriam seruet; alterum in Archiuio nostro custodiendum tradat.

Ne autem bonorum Ecclesiæ, seu locorum piorum domi-

dominia in incerto, aut vſurpationibus obnoxia,eſſe contingat, habeat quæcumque Eccleſia, ſeu pius locus, particulare Cataſtum, infra annum conficiendum, & in Archiuio ſimiliter cuſtodiendum.

Adſit in ſingulo Archiuio Index ſeu rubricella, in quo Inſtrumenta, Codices, Rationalia, Apocæ & Scripturæ ſingulæ ibidem repoſitæ, ſint diſtinctè adnotatæ.

Scripturæ non in confusò retineantur, ſed in Armarijs cum ſuis diuiſionibus ſiue loculis aptè diſpoſitis, in quibus ordinatim conſeruentur, & facilè inueniri queant.

Nulli liceat, aut permittatur, illas perquirere abſque prænarrati Cuſtodis præſentia.

Scripturæ inibi detentæ,nulli tradantur,ſub pœnis grauiſſimis, arbitrio noſtro infligendis.

Si procedente tempore prædicta bona & iura augeri contigerit, cura ſit Rectoris ſeu Adminiſtratoris, adhibitis eiſdem perſonis, per Notarium in eodem Inuentario notare facere augmentum: & de ijs etiam duo exempla conficiantur & conſeruentur, vt ſupra.



De

De rebus Ecclesiæ, & locorum piorum non occupandis vel alienandis.

CAPVT XL.

NE bona, quæ ad Ministrorum Dei sustentationem, pauperum refectionem, Diuinique cultus augmentum, fidelium pietas applicauit, & Christi Patrimonium effecta sunt, ab aliquibus vsurpentur, & proprijs profanis vsibus applicentur, quantum in Domino possumus impedire; &, si qui hactenus huiusmodi nequitiæ reus fuerit, ad pœnitentiam & restitutionem reducere, satagentes. In primis mandamus omnibus Parochis harum nostrarum Diœcesum, vt inter Missarum solemnia Sacri Tridentini Concilij decretum, ac partem Bullæ in Cœna Domini, contra vsurpantes bona Ecclesiæ & locorum piorum, vernacula lingua diuulgent: Hortenturque omnes ad tantum facinus execrandum.

Quorum pœnas incurrent etiam ij, qui scientes bona spectantia ad Ecclesias & loca pia ab alijs occupari, aut decimas non solui, non denunciauerint eos Rectoribus seu Gubernatoribus locorum. Hi autem, habita huius facti notitia, ea omnia diligenter recuperari curent: &, si qua difficultas occurrerit, ad Nos deferant.

Ij similiter, qui legata Ecclesijs vel alijs locis pijs relicta, vel etiam restitutiones per dispositiones Defunctorum heredibus iniunctas non soluerint, sciant se tanquam occupatores & vsurpatores bonorum Ecclesiasticorum habendos esse.

Bonorum quoque alienationes omnes, per donationem, venditionem, permutationem, emphyteusim, infeudationem, hypothecam, locationem & conductionem vltra triennium, ac denique per quoduis pactum, per quod dominium seu possessio bonorum, rerum ac iurium Ecclesiasticorum transfertur, interdicimus & prohibemus.

Quod si necessitas vel vtilitas ad id moueat, Apostolicum beneplacitum, vel nostra licentia, in quantum nobis conceditur, & seruatis de iure seruandis, præcedere debeat; & tunc in locationis apoca seu contractu Terrarum quantitas, mensura, confinia, clarè dilucidèque designentur, omnesque circumstantiæ describantur. Nec prius bonorum possessio emptori tradatur, vel eam emptor acquirat, quàm literæ Apostolicæ expeditæ sint, & sententia super illarum verificatione subsecuta fuerit. Sine quibus si aliquid alienari contigerit, præter excommunicationis pœnam, contractus quoque, sic celebratos, nullos & irritos declaramus. Periti, qui ad hæc iustificanda à Nobis requisiti fuerint, vel tamquam testes interrogati; si falsum deponant, aut veritatem subticeant, præsertim circa iustum valorem rei, de qua agitur; præter obligationem restituendi quantum damni ex eorum relatione Ecclesia passa fuerit, ipsi quoque excommunicationem incurrant.

Locationes bonorum non vltra triennium fiant, renouatis semper scripturis, & consultis alijs de corpore societatis, seu illius loci pij, de cuius interesse agitur; & non nisi prius bannimenta præcesserint, & edicta fuerint públicè affixa. Quæ similiter seruentur in frumenti, vini ac alio-

aliorum fructuum venditionibus.

In omnibus supradictis locationibus & venditionibus interueniat rogatio Instrumenti à Notario publico; vel obligationes, penes acta alicuius Curiæ initæ; non autem sola priuata scriptura, & multò minus fides oretenus habita conductoribus & emptoribus. Alioquin nullam etiam vim habeant, & locatores & venditores contrauenientes, à suis muneribus suspendantur. Quos, si in illis expressè vel tacitè, directè vel indirectè, aut alio quoquo modo, proprium interesse vel partem habuisse, vel habuisse eorum consanguineos vel affines in primo gradu, nisi nostra interuenerit licentia, præter contractuum, etiã adhibitis prædictis solemnitatibus initorum, nullitatem, suis quoque officijs priuati existant, & ad illa in posterum obtinenda eo ipso inhabiles reddantur.

Qui Beneficia Ecclesiastica possident, ne in eorum Prædijs arbores cædant, quæ iure cædi prohibentur. Si quæ verò ad necessariam Ecclesiæ eiusue Domus reparationem cædendæ sint, prius à Nobis licentia impetretur, & in locum sublatarum aliæ reponantur.

Pecuniæ ad easdem Ecclesias, Capitula, Monasteria, Sodalitates aliaque loca, & opera pia spectantes, adque bona stabilia seu immobilia & census emendos deputatæ, non, nisi congregato Capitulo vel Collegio, & maiore eius parte respectiuè consentiente, nostroque assensu intercedente, in prædictos vsus conuertantur: emptiones aliter factæ nullius sint roboris aut momenti.

Idem, quoad assensum à Nobis requirendum, dispositum censeatur de pecunia, quæ ad Præbendas, Beneficia, Capellanias aut pia legata, à singularibus perso-

nis possessa pertinet, & in eandem causam conuerti debet.

Sed, quia ex censuum emptione maximum damnum Beneficijs & locis pijs inferri, experientia docet; pecuniæ, quæ ex quauis causa vel occasione inuestiendæ erunt, in posterum, si fieri potest, in bonis stabilibus inuestiantur. Licentiam verò emendi census Vicarius non concedat, nisi ei per authentica documenta constiterit, tàm de valore fundi, super quo census imponitur, & quòd ad impositorem liberè spectet, quàm quòd idem venditor idoneus sit, & non alieno ære grauatus.

Prædia Ecclesiæ, si fieri poterit, vicinis non locentur, ne ea occasione propriorum agrorum fines dilatent. Et si aliud necessitas vel euidens vtilitas postulet, in locationis Instrumento Terræ quantitas, fines & circumstantiæ omnes distinctè describantur, quibus contra vicinorum auiditatem Ecclesiæ caueatur.

In annuis Canonibus, Laudemijs & responsionibus, ab emphiteutis, socijs & laboratoribus exigendis, diligentia adhibeatur, ne in notandis solutionibus, aut exactionibus intermittendis, Ecclesiæ circa directum dominium præiudicium aliquod inferatur.

Archipresbyteri, Parochi & alij Ecclesiarum Rectores, qui earũ bona malè alienata fuisse compererint, earum iura prosequantur, & pro viribus recuperare conentur. Nosque de mala alienatione certiores faciant; nec super ijsdem, Nobis inconsultis, ad aliquam transactionem, renouationem seu compositionem deuenire audeant.

Heredes Beneficiarij defuncti, Bullas aut scripturas quascumque, ad Beneficium & Ecclesiam pertinentes, suc-

ſucceſſori in Beneficio vel Eccleſia tradant; qui eas in Archiuio reponere teneatur.

Inſtrumenta quoque, & alia cuiuſuis generis ſcripta, ad Eccleſias aut loca pia pertinentia, quiſquis, ad quem non pertinet, detinet, ea infra menſem reſtituere teneatur. Quod ſi, dicto tempore elapſo, non reportauerit, in pœnas, contra occupantes bona Eccleſiæ latas, incurriſſe declarabitur.

De Legatis Pijs.

CAPVT XLI.

VAlde inhumanum eſt, atque à Chriſtiani populi pietate ac fidelitate alienum, vt Defunctorum diſpoſitiones in Eccleſias & alia pia loca, piaſque cauſas, eorum, quibus commiſſa eſt executio, negligentia aut malitia depereant. Quapropter Nos, quibus Sacrorum Canonum, ac præſertim Sacri Concilij Tridentini, decretis ſuper hanc rem vigilantia & prouidentia iniuncta eſt, omnes in primis, qui ad huiuſmodi legata, relicta, donata exequenda quouis nomine obſtricti ſunt, paternè admonemus, eiſque ſeriò & enixè mandamus, vt ſuæ obligationi quamprimum ſatisfaciant. Quod ſi culpabiliter neglexerint, pœnas eorum, qui eccleſiaſtica bona occupauerint, ſe incurriſſe ſciant.

Deinde verò, locorum Piorum indemnitati, & piæ teſtantium voluntati ab executorum malitia cauere volentes, ſtatuimus, vt Eccleſiarum Rectores, & alij omnes, qui quarumcumque piarum diſpoſitionum per teſtamen-

ta,

